

1702.

1. Vicensius, Iohannes : De amnis leiga et claris vris
in de orimdis .
2. Instius, Michael Haer : Ne aequitate legum Roma-
norum .
3. Gisternus, Mich. Haer : Reo, quod aequum est
area feras ex custodia dissipatas .
4. Mendes, Ludovicus : Programma, quae ad orationem
anspolialem i... invitat :
5. Mendes, Ludovicus : Oratio in ang... 1c
adminiculus legatae academicorum multitudine in
castris viribus . . .
6. Mendes, Ludovicus : De simultanea investitura
adscendentibus et successorum fidelium apud Terras
necessaria .
7. Ohm, Gorpon : De culpa agentiam ex mala
8. Olearius, Gorpon : De principio magistratu se
abdicante

1702.

9⁴st Reichenbergius, Alanus : Regiae principis Chris-

tiani eggenslandi circa homines. Nam negato-

2 Janv. 1702 - 1705

10. Frener, Gottlieb Samuel : De Magdeburgi et arcis No-

Magdeburgensis.

11. Werckherus, Henr. Feder : De aereals Take hominum
in Latn naturals.

12. Werckher, Henr. Feder : De officio hominis
circa seruorum.

13. Wigleben, Joh. Frider. : De aero X 1812

P 546

A

C

10
1702, 1

D. D. B. V.

DISSERTATIONEM

DE

ANNÆBERGA
ET
CLARIS VIRIS

INDE ORIUNDIS

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
BENEVOLO CONSENSU

P 546

in
Illustri Academia Lipsiensi

ad D. XXIII. Decemb. Anno MDCCII.

PRÆSES

M. JOHANNES DIETERICUS,

ANNÆBERGENSIS.

PUBLICÆ ERUDITORUM CENSURÆ SUBJICIET

RESPONDENTE

GOTOFREDO SAMUELE

KREBELIO,

SS. Theol. Stud. & Philosoph. Baccalaureo.



L I P S I A,

Literis JOH. CHRISTOPH. BRANDENBURGERI.



SCHREITERI ANNÆBERGENSIS
THEOLOGI OLIM CELEBERRIMI
CELEBERRIMIS
F I L I O ,
V I R O

Summe Reverendo, Magnifico atque Excellentissimo
D O M I N O

CHRISTOPHORO
DANIELI SCHRETERO,

Doctori Theologo Veterano, Episcopatus Mi-
nsensis Superintendenti, Consistorii illius Assessori, & Wur-
zenæ Pastori undique immortaliter merito:

N E P O T I ,
V I R O

Pranobilissimo, Amplissimo, Consultissimo atque Excellentissimo
D O M I N O

CHRISTOPHORO
SCHRETERO,

J.U. Doctori famigeratissimo, Academiæ Lipsi-
ensis Syndico Splendidissimo:

Dominis, Patronis, atque Promotoribus suis cum observantia
colendis:

*Hancce de patria sua ejusque Claris Viris, Dissertati-
unculam, devotianimi, debitique cultus testem,*
cum prolixo pro incolumitate vestra voto merito,
sacram esse jubet

M. JOH. DIETERICUS,
Annæbergenus.



PRÆFATIO.


 Ccedimus & nos pro tenuitate nostra ad exilem
 consignandam Dissertationunculam, in qua *Annebergam*,
patriam optimam, representare, ejusque *Claros
Viros* producere in medium eosque ab oblivione
 vindicare voluimus. Non equidem ignoramus,
 ejusmodi themata historica à multis traduci atque
 improbari tanquam vulgaria & pauperrimi ingenii monumenta:
 Verum enim verò nos sinistra horum hominum judicia parum cu-
 ramus, nec ideo ab hoc proposito nostro nos retrahi patimur, præ-
 fertim cum in hoc studio Viri Eruditi atque celebres nobis præive-
 rint, & Amatores historiæ literariæ mitius hac de re judicare sci-
 ant. Nos quoque, qui non ausu proprio hanc materiam elegimus,
 sed consilio Viri cuiusdam de patria meritissimi excitati, aliisque
 a Viris doctissimis confirmati fuimus, eò lubentius eandem acce-
 ptavimus, quò certius amorem atque gratitudinem, qua erga pa-
 triam tangimur, hoc ipso demonstrari posse cognovimus. An-
 nuente igitur supremo Numine duo *distantia capita Dissertationis*
nostre constituemus, inque priori Urbem *Annebergam*, in posterio-
 ri verò *Claros Viros* inde oriundos juxta quatuor Facultates toti-
 dem Sectionibus considerabimus. Lectores faveant conatibus
 nostris!

(4),
CAPUT I.
DE
ANNÆBERGA.

S. I.



Omen ipsum *Anneberga* vel *Annebergi*, unde dictum sit, opere inquirendum non est. Etenim ex prima statim inspectione liquet, eam ab *Anna* voceque Germanica *Berg* quæ Latinis montem sonat, appellatam esse. Unde etiam a quibusdam *Anne Mons* vel *Annenmontium* vocatur. Est autem illa *Anna*, à qua *Anneberga* nomen sortita est, non ista gentilium Dea, ab *annis*, quibus presidebat, vocata, Beli filia & soror Didonis, cui Mense Martio privatim & publicè sacrificabatur, uti docet *Hoffmannus in Lexici Univers. T. I. p. 123. sq.* Patria enim nostra originem suam non trahit à gentilibus sed à Christianis, qui licet tum temporis sub Romano Pontifice magnis adhuc in tenebris versarentur; cultum tamen Deorum Dearumque gentilium improbum jamdiu abrogaverant, & ejusmodi superstitiones, quæ gentilismum sapient, exuerant. Neque putandum est, majores hac denominatione respexisse ad illam Electoris Augusti Conjugem, *Anna* nomine gaudentem, quæ Arcem istam alias *Lochau* dictam, & prope *VVittebergam* sitem anno 1575. noviter extrui, & a nomine suo *Annenburgum* dici jussit. Nam *Anneberga* nostra jam sub initium seculi XVI. Anno 1501. hanc appellatio nem obtinuit, quo hæc Serenissima *Anna* Annabergensis adhuc plane erat incognita & lucem nondum adspicerat. Quin potius credendum est, patriam nostram nomen suum indeptam esse à *D. Anna*, quæ *Maria Mater & Christi Avia* extitit, cujusque in cultum majores nostri pro temporum superstitione acriter propendeabant, quemadmodum hoc non ita pridem meritis simus atque nunc desideratissimus Ephoria patriæ Antistes *Dn. D. Gætzius*, cum ipi postremum vale diceret, & ab ea ad Lubecensem emigraret, in *Dissertatione Historico-Theologica de Cultu Anna, Avie Christi in Misniam invecto*, hoc anno Lipsie edita, egregie demonstravit. *Calvinus* equidem apud *Scherzerum in Anti-Bell. p. 458.* Iuspicatur, *Anneberga* hoc adhæsisse ab uno capite *Anne*, in hac urbe recondito & assertato: at vero hoc affirmatio non potest, quia *Anneberga* nostra hanc appellationem accepit Anno 1501. quo ossa *Anne* nondum in eam pervenerant. Multo minus dici poterit, *digitum e D. Anne corpore detractum* & a Barbara Casimirii Regis Poloniae filia ac Georgii Saxonie Ducis Conjuge bulla Cæsarea templo donatum, huic denominationi ansam de.

dedisse, siquidem ille Anno 1510. demum ad urbem delatus & processione pulcherrima in templum introductus est, uti referunt Jenifius, Censor Chronicus Annabergensis P.I. cap. XIX. p. 59. a. & Dresserus Ifag. Hist. P. V. p. 115. sqq. Conjectu autem est facillimum, qua de causa patriam huic imprimis mulieri consecrare voluerint. Cum enim illa communiter paupertati & rebus desperatis praesidere, ideoque apud Pontificios superstitione invocari soleat, ut divitias largiatur, quod ostenditur in Apol. Aug. Confess. Art. IX. p. 229. hanc præ cæteris suam patronam elegerunt, ut sub ejus tutela majorem felicitatem & opulentiores e fidinis metallicis redditus impetrarent. Atque exinde postmodum incliti Bohemia Comites, ex antiqua Sliconum familia oriundi, occasionem captantes, urbem a se conditam ab Anna nostram marito Joachimi Vallem sive Joachims Thal appellarent. Hos secutus est Ducus Georgii Frater, illustrissimus Princeps Heinricus, qui cum suis parentem fortunam similemque rei metallicae successum optaret, sibiique Mariam ex Anna procreatam succurreret, urbem a se fundatam honori Mariae dedicavit, eique Mariaberga nomen esse jussit, uti celeberrimus Job. Rivius, Athend. in descriptione Mariaberga Lipsia anno 1541. edita, testatur. Id quod potro ipsum quoque permovit, ut vicum, qui in extrema Misnia ora Presnicium versus loco nemoroſo situm obtinet, in honorem Josephi mariti Mariæ, Iosephi vicum Oder Joseph. Et àd hunc nuncuparet. Quibus Civitatum denominationibus rationem admodum piam & laudandam subesse. Jenifius noster in Chronicu sui prefatione existimat, quando ait: Placuit videlicet inclitis harum terrarum gubernatoribus civitates ab iis nuncupari, quos secundum carnem progenitores Servator habuit, ut ad prædicanda Christi beneficia cives accenderentur, sequi ipsi animis, corporibus, fortuniis totos conserarent.

§. II. Altera vox, a qua Annaberga nomen obtinuit, est mons five Gerro: Berg/uti jam diximus. Et respicitur ea non tam ad varios montes, qui urbem circumstant, eamque quasi inclusam tenent, sed præcipue innuitur Pelori mons, qui inter circumfusos colles specula in modum altius assurgit, eujusque ad radices urbs fundata & posita est. Conf. Jenifius l.c. P. I. cap. II. p. 3 sq. & B. Chrif. Lebmannus in seinen Historischen Schriften Sct. II. c. V. p. 38. Nam cum initio, consilia de urbe condenda invenientur, indicati fuere tres montes, Scotorum mons & exigua valle ab hoc diremptis, qui Schreckenbergum dicitur, & utrique ex aduerso positus Pelorus, atque hic postremus præ reliquis duobus electus & extrinsecus civitati aptissimus habitus fuit, eam potissimum ob causam,

quod via ad eum ex Misnia ac Bohemia locis facilitiores ducerent. Neque tamen in montis supercilio urbs hodie collocata conspicitur, ita enim accessus ad eam fuisset difficilissimus, sed potius ad radices ejus ponere voluerunt, quia sic etiam ibi stagnantes aquæ expeditus ad urbem derivari poterant. Atque hic mons est, de quo circa annum Christi 1470. quidam dixisse fertur, futurum ut juxta Pelorum, ea parte qua Schlettam ietur, urbs præclaræ ex venarum ubertate excitaretur. *Vid. Ienissius l. c. p. 4. b.* Nec hic prætereundum est, patriam ab initio ab altero vicino monte Schreckenbergum. Schreckenberg fuisse dictam, cuius etiam largi proventus metallici nummis signandis occasionem præbuerunt, qui vernaculo nomine Schreckenberger Latine vero Angelici oder Engel's Groschen ab impressa Angelij imagine vocantur, & quorum unus olim tribus grossis, hodie vero tribus cum dimidio valet, notante hoc Albino in Cbron. Misn. P. II. Tit. 5. p. 44. & Dressero l. c. Verum non diu hoc nomen obtinuit, quippe paulo post Anno scil 1501. intervenientibus apud Imperatorem Maximilium I. Georgii Ducis Civiumque precibus pristinum illud cum novo commutavit ac Annaberga dici coepit, uti Ienissius in Cchronici sui Prefatione; item P. I. cap. XVII. p. 47. b. & P. II. p. 2. & Dresserus l. c. annotarunt.

S. III. Coepit autem hæc urbs initia sua jam sub Alberto Duce Saxonie, Principe illo magnanimo ac felice, qui ob virtutem a Pontifice dextramanus Imperii, & a Belgis Rolandus cognominatus fuit. Ipse vero eam non condidit, siquidem cum temporis extra patriam in expeditione contra Frisios, quorum ditionem ob strenue navatam in bellis operam Fridericus Imperator armis subigendam ac possidendum concesserat, occupatus erat. Sed filius & successor ejus Dux Georgius, qui interim Provinciam regebat, hoc negotium in se suscepit & novam hanc urbem è fundamento erexit. Inniuit hoc Petrus Albinus, Historicus sui temporis clarissimus in seiner Meissischen Land-Chronik P. I. Tit. 14. p. 184. ita scribens: St. Anneberg ist auch (nebst Schneeberg) unter diesen Herrn Albrechten angangen / und von desselben Sohn Herzog Georgen zu Sachsen umb das Jahr 1497. allererst recht erbauet worden/wiewol das Bergwerck etwas eher erfunden Idem P. II. Tit. 5. p. 44. ait, daß diese Stadt unter Herzog Albrechten und seinen Sohn Herzog Georgen angelegt / der sie auch endlich vollbracht. Indicavit hoc etiam Georgius Fabritius in Alberti Saxonis historia. quando ita cecinit:

Illiis auspicio primum caput extulit altum

Urbs in Sudero dives & ampla solo.

*In pede Peliaci qua nunc jacet inclita montis,
Fossus ubi argenti messenitefecit ager.*

Fuit autem Georgius Dux Saxonie, alias Princeps moderatus & clemens, rerumque gerendarum prudentia & dexteritate admodum præstans. Religionis Pontificiae summopere amans & vindex acerrimus, tantum pro ea Zelum ostendit, ut non solum carceris poenam civibus, Lutheri doctrinæ adhaerentibus, publico edicto decreverit, sed etiam quosdam, qui felicità illa impura ad puriorem Evangelii doctrinam transierant, a morte locis in honestis tumularijs efficerit, notante hoc Jeniso Chron. P. II. p. 22 ad annum 1535. Nec profecto minor erat amor Principis hujus quo patriam amplectebatur, quippe qui sepius illud dictum in ore habuiss' feruntur: Leipzig die bestie / Chemniſz die feſte / Freyberg die grōſte / Annenberg die liebſte. Sic Anno 1505. illud quoque ipsius dictum celebratum fuisse legimus: Lipsiam ter in anno, Freibergam vero & Annabergam quater annis singulis fructum refundere. Testatur hoc etiam Matthaeus Behem, ipse metu Annabergensis, in Annaberga sua ita canens:

*Eff̄ suam dixit Dux ſepe Georgius urbem,
Tam pius in patriam Principis ardor erat.*

§. IV. Ut autem optimus Princeps consilium de urbe condenda cuperet, anſam dedit non solum larga è fodinis metallicis ubertas, sed etiam ingens inde allecta hominum multitudo, quæ ſedem suam ibi figere desiderabat. Postquam enim haec tenus Schnebergæ divina benignitas in refundendis provenientiis metallicis admodum conſpicuum ſeſe præbuerat, porro etiam trans montes Sudetos concessit in patriam, & largam fodinam post alteram aperit. Prima argenti vena detecta fuſſe dicitur anno 1592. ad radices montis Schreckenbergi, qui primum urbi nomen dederat, ſicuti Matthaeus Behem obſervavit scribens:

*Prima ſub horrifico ſic quondam monte vocato
Dicitur a clando jacta fodina viro.*

*Hac caput antiquum eſt ab eodem diuina fodina,
Illa dedit patria munera prima mea.*

D. Mich. Barbius, gratia ille patris & civis, inventorem ejus vocatum fuſſe Danieli inque ſomnus ea de re admonitum in ſua Annaberga ſequentiibus afferuit:

*- - - In ſomniis cum numine Divum
Inſsus erat Daniel foco ſuccedere opaco
Quaque viam celo monſtrasset laſſus ab alto*

ignis

*Ignis , certa sequi subito vestigia , ibique
Querere & ingentem telluris promere ab alvo
Thesaurum &c. &c.*

Ieneius vero alium Autorem agnoscit , primamque argentii venam ad Schreckenbergum a Casparo Dreslero , quem quidam Nützelium appellant fuisse apertam ait , de quo vide sis eum in saepius laudato Chronico P. I. cap. XI. p. 27. At quisquis etiam primam fodinam aperuerit , sufficit quod cultores suos larga miraque uberrate cumulaverit . Etenim anno 1496. primos refundit ptoventus , a quo usque ad annum 1500. numerata sunt Aureorum Rhenensium 12483\$. non putatis decimis & impensis , Conf. Albinus & Dresserus l. c. Atque largi redditus hinc emergentes Georgium , Ducem Saxoniae , moverunt , ut urbem , in qua considerent metallici , erigeret . Nec interea defuerunt aliae fodinae cultorum solertia detectae , quarum ex ubertate non minores opes redierunt . Celebratur praeceteritam Cuniculus , cui a jentaculo nomen adhaesit , a quo proximus est , qui a venerabili Christi corpore , & qui a sacra cruce denominationem accepit , ex quibus multi inferioris & pauperioris sortis homines speciosas divitias indepti benigniorem postmodum fortunam experti sunt , quales fuerunt Thomas Hirn , N. Sturtius , D. Georg. Sturtii , Medici Parenz , itemque Sarcevii Parenz , Mich Lothes , Caspar Kirschner , Kervig aliquae plures . conf. Albinus l. c. & Matth. Behm. l. c. Quo plures vero venae metallicae detectae sunt , eo major etiam metallicorum copia opum desiderio accensa approposavit , ut etiam angusta Schreckenbergi spatia ingentem hominum multititudinem capere amplius non potuerint , & plurimi cultores non absque molestia & incommmodo ultro citroque Gayrum commicare coacti fuerint . Quod cum Serenissimus Dux Sax. Georgius audiret , removenda ejusmodi obstacula salubri consilio censuit , misitque qui locum urbi designarent . Cumque horum sententiae inter se conspirarent , eo tandem res deducta est , ut ad montem Pelori , in quo hodie collocata cernitur , urbe excitaretur .

§. V. Valde autem memorabile est , hujus urbis primordia in id maxime tempus incidisse , quo orbis occidentalis , Americam puto , admittendis navigationibus primum detectus inenarrabiles plane divitias in Europam nostram transmisit . Namque anno 1492. quo Christophorus Columbus Genuensis , sub imperio Ferdinandi Catholici Regis Castiliae primam navigationem eo instituit , & primicias opum illarum inde reportavit , prima quoq; sortis felicioris aura tractum istum montanum afflavit , pri- maque

❧ (9) ❧

mæque fodinæ apertæ & excultæ memorantur ab Albino l.c.p. 22. tit.
3. it. pag. 44. tit. 5. Unde etiam a quibusdam primus hic urbis annus
constituitur juxta illud ab in certo quodam Autore confessum chronodi-
stichom:

TerrIBILIs qVe CVnCta tVLI syLVestrIateLLVs,
Anna beata tVo noMIne nota fVI.

Ast vero in hoc errarunt, siquidem urbs non anno 1492. qui ob novas
venas metallicas memorabilis fuit, sed quinquennio post anno sc. 1497.
quo Americus Vespuvius firmam novi orbis terram detexit, extrui cœpit.
Annum urbis conditæ exhibet hoc Distichon :

TerrIfero CeLebrata II'go VoLventibVs annIs
Vrbs aVla IefV noMIne CLara VoCor.

Eundem annum indicat etiam hoc votum: *SalVs, pax & tranquillitas bVIC VrbI & CVnCtis habitanribVs eam.* Lubet vero hic etiam
audire *Ienistum nostrum in prefatione Chronicis sui* hac de re admodum ner-
vose, ita dissenserent: *Accedit hoc, quod civitates* (Schneberga scil. An-
næberga, Vallis Joachimica, Mariæberga, Scheibenberga, Eibenstock,
Platta, Josephivicus, Gottesgabium) *in temporibus emerserunt, quibus oc-*
cidiuus Orbis insvetis navigationibus primum detectus ingentem auri, unio-
nnum, lapillorum vim in Orben Europeanum iniulit. Ex quibus cum immen-
sas multi opes colligerent, placuit Deo immortalis hominumque amanti, in-
cliyum Saxonio ducatum ejusdem felicitatis fructum vel sine navigationie
periculo, nec alienis longeque distis locis sed domi intraque fines proprios
capere, adeoque terras base vino, frugibus, pecore ac commerciis abundan-
tes hac ipsa ex parte reddere copiosores. Quantum enim ex argenti, plumbi
albi, aris ac ferri venis emolumenti, quantum divitiarum cum ad inclylos
Principes, tum ad privatos atque exterios plurimos redierit, vix in estimati-
tionem venit.

§. VI. Referenda autem est Annaeberga nostra non ad oppida Thu-
ringiae, uti *anonymus quidam* in Libro Romæ anno 1525. impresso hac op-
pinione deceptus est quod jam observavit etiam ex *Lipenii Diff. de Maria*
Ortu, c. II. §. 10. Excell. Gatz. l.c. p. 20. Nam sita non est in Thuringia sed in Mi-
snia ejusq; parte superiori, quæ ut plurimum montosa & nemoribus passim
obsessa est, cuiusque habitatores olim *Hermunduri* Germ. *Heermannae* vo-
cati fuerunt, uti ex Libellis Geographicis in vulgus notum est. Quod vero
attinet locum proprium, in quo urbs hodie conspicitur, admirandum
erte & benignitatis & potentiae divinae documentum inde elucescit, si e-
um penitus consideramus. Cum enim aliae civitates locis amoenis, fru-

giferis atque salubribus, ubi mitior aura spirat, & commercia bene exerceri possunt, extrui soleant, admiratione profecto dignum est, hanc nostram loco aspero, horrido, nenoribus stipato, sterili, cultuque agresti deserto & commerciis exercendis minus idoneo fuisse exfuscatam. Accedit, quod vastissimus hic locus quondam etiam paludibus, saxis & cautibus tumuerit, nec tam hominibus commoda habitacula, quam potius ursis, lupis, cervis aliisque feris bestiis, a Ducibus Saxonie venando interdum quæsitis, latebras & cubilia præberit, ut adeo accessus ad illum non solum molestus & difficilis, verum etiam valde periculosis fuerit. Placet hic audire Cives quosdam vastitatem & solitudinem patriæ pristinam verbis admodum accuratis delineantes. Ita enim Behmu nostrar de ea canit:

Hic ubi nunc urbs est, fuerant tunc arbor & herba,

Hic hominum rara quando fuere casæ.

Non viatrita fuit quondam, nec idonea gressu

Hic, ubi nunc urbùs culta platea jacet.

Hic loca deserta quondam deformia sylva

Dicitur immanes incoluisse feras.

Hic fuerant salebra, cautes, hic fragmina, petrae,

Quæ facile haud ulli transfluisse fuit.

Forstan hic etiam tenuerunt rura Cyclopes.

Nam tales referunt signa vetusta locos.

Turba tamen lucri sitiens huic condidit urbem,

Uilia est adeo mens studiosa rei.

Jenissius noster l.c. ita eandem describit: Loca, in quibus civitates metallicæ situm accepertunt, priscis temporibus non aspera solum, sed confragosa, horrida, omnique cultu vacua fuisse nemini non exploratum: adeo, ut montium tractus, qui Bohemiam a Misnia dissermant, seque ad Piniferum usque extendunt, haud male a veteribus Sudeti appellantur, eo quod sylvis vastaque solitudine plurima ex parte rigentes non tam hominibus quam feris sylvestribus latibula stationesque præberent, adeoque nec commerciis exercendis, nec agrorum cultura, vitsaque feliciter degende essent idonei. Hinc adeo factum, ut multis etatibus nulla non modo civitates, sed vix ville tenues & rusticorum mapalia locis ita confusa sint, abhorrentibus ab obscurâ vastitate omnibus, presertim cum ad loci horriditatem cali asperitas non minus astate quam hyeme gravia accederet, quam illud porro conduplicavit, quod comeatus ex finitimiis locis moleste nec sine ingenti laboris ac sumptum auctoramento subveniens effet. Et. §.VII.

S. VII. Quamvis autem locus, in quo urbs excitanda erat, horridus denique nemore obsitus fuerit, succulis tamen arboribus ad dispendandum præparatus inque amoenum cultum vastitas illa brevissimo tempore abiit. Namque vix designata erant urbis, platearum & fori justa spatio; & ecce, confluenta e finitimiis proculque distitis locis ingenti hominum multitudine, domus admirabili contentione exstructæ, & mœnia adornata sunt, ut paucorum annorum interjecto spatio ejusmodi civitas inde surrexerit, quæ multos mirabundos in se convertit. Ipse Joh. Salianus, *Austriacus*, *Medicina Doctor, Mathematicus & Poeta* suo tempore clarissimus, cum in his asperis montanis, quondam à se probe perlustratis, opidum hoc conspiceret, magnopere admiratus est, *Civitatem in nemoropidum scopulis inter umbrosa ferarum speleas conditam decem annorum curriculo, manibus, aggeribus & fossis contra hostium impetum circum, tam præclaris domorum adiectis fructum, sapienti senatu & plebisciatis civilibus ornatam, tanta denique hominum multitudine coaluisse.* Faretur hoc in Carmine quodam, quod anno 1507. de patria nostra conscripsit & Senatu Amplissimo dedicavit, uti Jenisiu*l.c. cap. XI. p. 28. b.* memorat.

S. VIII. Formam ejus quod attinet, sicutius hic tum externam tum internam. Externa, quam nonnulli figuram appellare malunt, orbicularis & rotunda est, & aliis quoque civitatibus communissima. Longitudo enim ejus ab occasu ortum versus passuum quingentorum decem, & latitudo quadringeritorum nonaginta à Jeniso*l.c. p. 29. b.* constituitur. Ex quo omnino conficitur, circularem ubi propemodum esse formam externam, quæ veteribus etiam visa fuit elegantissima. Ad formam autem internam referimus leges atque immunitates, quarum beneficio politia sive respublica constituit atque conservari solet. Quam primum enim urbs è vastitate sua surrexerat, sine mora accessit politæ constitutio, promulgatis legibus metallicis aliisque civilibus, quibus ceu repagulo quodam metallici, cives & subditi in officio suo contineri poterant. Hoc quodammodo innuere videtur *Dresserus l.c.* Sed fuisus leges illas enumerat Jenisiu*P.I. cap XVIII. p. 50. sqq.* ubi de urbis institutis & moribus ex professio agit. Nec defuerunt immunitates variae, quæ a Principibus concessæ jura civitatis stabiliverunt ejusque politæ insigne ornamentum conciliarunt. Harum in censum referimus potestatem constituendi Senatum, Leges & statuta condere, judicia exercere, & ea munia, quæ ad gerendam rem publicam faciunt, exequi. Plura legi possunt apud Jenisium*l.c. cap. XVII.*

XVII. p. 47. sqq. Quibus legibus circumseptam atque immunitatibus dotata cum hodierno adhuc die urbem optimam conspiciamus, exinde colligere licet, formam ejus internam pulcherrimam esse atque florentissimam.

I. IX. Ostensa exadificatione & forma merito nos ad patriæ svavissimæ adficia precipua laudanda convertimus, si quidem & ab iis decus atque encomium singulare ipsi accedere plane nobis videtur. Imprimis vero patriam nostram condecorat, exterisque commendat splendidissimum & pulcherrimum Templum, quod in laudem atque honorem D. Annae magnificis sumtibus extructum & sculpturis artificiosis egregie exornatum spectantes mente suspensos tener, D. Mich. Bartb, laudem ejus sequentibus decantat:

*Templum opulentum, ingens, latum, sublime, decorum,
Urbe jacet summa, quo non prestantius ullum
Orbe pererrato se unquam vidisse fatentur,
Quicunque banc peregre vel forte feruntur ad urbem
Visendive petunt studio, qua maxima turbacit.*

Celebrat illud quoque supra laudatus Chronographus Misnensis Albinus l.c. P. II. tit. 5. p. 44. quando ait: Nachdem Schneeberg ist Buchholz und Schreckenberg aufzukommen/ welcher letztere hernach St. Annenberg genennet wurde/ und von den Landesfürsten Herzog Georgen so eine Stadt darauf erbauet/ über welcher sich bisher und noch die fremden Leut billig verwundern/ daß so eine herrliche u. schöne Stadt mit so trefflichen Gebäuden/ (darunter sonderlich die Kirche / dergleichen man kaum findet/ berufen ist) innerhalb so wenigen Jahren erwachsen sei. Nolumus autem nunc accuratam templi hujus delineationem formare, etenim ad eam haec exigua plagula vix sufficerent. Tacemus etiam egregiam atque incomparabilem ejus structuram, quæ omnino quoque laudanda & admiranda est, hoc loco multis commemorare, sed brevissimis saltem indicabimus ea, quæ maxime sunt memorabilia, ejusque celebritatem & pulchritudinem quodammodo insinuare possunt. Eminet vero inter Templi ornamenta, excellentissima Ara marmorea, quam duæ aliae lignæ quidem, sed auro argentoque radiantes, & figuræ de Jesu puer, ejusque matre jucundo spectaculo exhibentes, à lateribus suis cingunt, & ornatiorē reddunt. Unum in hac & solidum marmor e pluribus tamen cruxis ita coagmentatum, ut non facile sine maximo periculo & labore dissolvi queat. Unde Job. Chentmannus in scripto de

La-

Lapidum commentario haud perperam scripsisse censetur: *Aram ex solido & unico marmore ne in Italia quidem pulchriorem ullam extare.* Conf. *Albinus l. c. P. II. tit. 21. p. 160.* Marmora exquisitissima & pretiosissima ex quibus constat, *Jenissius noster l. c. P. l. c. XII. p. 32.* in decem species dispeſci singulaque nominibus suis accurate exprimit. Fabricata autem illa dicitur Augustæ Vindelicorum sumptibus inclytæ cuiusdam Reipublicæ, quæ, quod *Job. Mengen meierum*, Virum gravem & honestum, qui captus ubertate locorum metallicorum in hoc oppidum commigraverat, percusſore immisso è medio tolli jussérat, in Imperii Comitiis publice cædis rea declarata fuit, ac postmodum in ejus expiationem Aram hanc è marmore strui curavit. Statuæ marmoreæ, quibus superbit, raro artificio spectandam referunt Regum Dicunque seriem, à quibus Salvator noster secundum carnem descendit, quique in summo etiam templi fornice sculpti conspiciuntur. In hoc enim triplex quoque figurarum series deprehenditur, quæ templo sanè non minus ornamentum conciliant. Prima series Reges & Duces jam memoratos ostentat, quos scil. Servator noster generationis sua temporalis progenitores habuit: Altera eaque media Principum gentilitia arma tholis suspensa sicut, & tertia Prophetarum imagines, itemque Praefulum & Antistitutum Misericordium aliorumque insignia egregie picta exhibet. Præcipue vero hic laudandi sunt fori in templo facti, qui vulgo dicuntur Empoli Kirchen / & spectantium oculos si quicquam aliud in se rapiunt ac detinent. Omnes isti quadrato saxo constant, & universum fere templum, si spatia trium Altarium excipias, ambiunt, Exedre etiam, quas vulgo Erker appellant, in duobus lateribus sibi invicem oppositæ, decem prominent, quarum minores duas sunt sexangula, reliquæ majores tribus saltæ angulis conspicua. Totum verò hoc ambulacrum sculptur magnifice exornatum, salutis humanæ monumenta saxo incisa triplici ordine repræsentat, templique decus maximopere auger. Primus ordo rerum creationem cum primæ hominis formatione ejusque transgressione octo tabulis exhibet. Secundus Christi Salvatoris gesta tabulis quâdraginta septem expressa, & postremus Deiparæ Virginis Ædipia cum Stephani & Apostolorum martyriis judiciisque extremi sculptura tabulis viginti quatuor continet. His denæ utrinque tabulæ adjectæ sunt, in quibus per singulas annorum decades decurrens hominum ætas utroque in sequu cum suis, quæ singulæ præferunt insignibus, artificioselapidi insculpta cernitur. Nec prætereundus est suggestus itidem è saxo quadrato constructus ac ad ornatum templi multum quoque contri-

buens. Antistitum quorundam imagines ille exhibet : hinc quidem Hieronymi & Gregorii , inde vero Augultini & Bernhardi. Media autem parte Anne figura cum Mariâ Jesum puerulum sinu fovente conspicitur , & sub suggestu Georgii Ducis Barbaræque Conjugis , ut & urbis insignia faxo incisa pulchrisque coloribus depicta conspicientium oculos delectant. Huic addi meretur , qui fere circa medium Templi existit , Crater , ex uno faxo cavatus , quo Baptisterii loco in infantum baptismo uti solet. Operculum ejus , quod ex ligno artificiose fabricatum , imaginem Deipara Virginis cono insidentis ac Christum manu gestantis resert ; basin vero angelorum puerorumque sculptæ imagines condecorant. Saxo verba Christi infixa sunt , & quidem superiori parte. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu &c. inferiori autem : Euntes docete omnes gentes &c.* Ad Templi ornamenta pertinent etiam pulcherrimi Chori Musici è diametro sibi oppositi , qui sub finem seculi elapsi in ampliorem & elegantiorem formam egregiis columnis exstructi , ad normam aræ marmoreæ depicti capitibusque inauratis in superiori parte exornati sunt. Primus isque maximus & amplissimus tribus altaribus è regione positus , ab uno templi latere ad alterum se se extendit , & cum præstantissimo Organo Pneumatico quod ostentat , non ita pridem sumptibus Prænobilissimi Dn. Dav. Fleischeri , qui ipse Annebergensis , a Croffen & Widerau S.R.M.Pol. & El. Sax. Commerc. Consulari ac Reipl. Lips. Senatori Gravissimi , mitsifice renovatus est. Huic superimpostus est alius eodem modo exornatus Chorus , qui tantum Organon ambit & duabus egregiis sculpturis ligneis gaudet , quatum una Davidem cum cythara , altera Assiphum cum Psalterio in majori forma vtili repræsentat. Reliqui duo ad latera altarium sibi invicem oppositi & illis foris , qui estates hominum in utroque sexu saxo incisas exhibent , superinstructi sunt , quorum alter itidem organon aliquod Pneumaticum noviter restauratum obtinet , alter vero Libris aliisque Bibliothecæ Scholasticae monumentis commoda receptacula præbet. His Templi ornamenti subjici possunt duo quoque Sacra , quorum unum altero sumptuosius majorique artificio exstructum Divorum reliquiis & statuis servandis , olim dicatum fuit. Addi posse etiam Janua pulchra , vulgo dicta , die schône Thûr/ que Senatus Nobilissimo imprimis patet , varisque eximis sculpturis gaudet : verum diutius his laudibus non immorabitur , sed istud saltē adhuc subjiciemus , quod ab hinc sedecim circiter annis interiora templi cum fornicibus & parietibus suis novo nitoru fuerint restituta omnesque fororum sculpturæ cum Baptisterio , suggestu & clathris splendido .

dorem partim marmoreum partim aureum ab altaribus mutuaverint. Atque hac est facies templi interior. Ab extra ornamentum insigne ipsi addit *Turris* altissima & fortissima, cuius pars inferior quadrilatera octo cubitorum crassitie, superior vero octangula non admodum crassa campanas & excubitoris conclavia recipit. Huic structura alia lignea eaque rotunda & splendida superimposita est, cuius cacumini globus magnus noviter inauratus insidet, qui tabellam quādam plumbeam cum præcipuis urbis memorabilibus incisis servat. Plura de hoc Templo qui nosse desiderat, adeat *Jenifsum nostrum Chron. P. I. cap. XII. p. 31. 99.*

S. X. *Anne Templo*, cuius in Ornamentis recensendis paulo prolixiores fuimus, succedit *Templum vel potius Cenobium Franciscanorum*, ab *Albino Das Barfüsser oder Grauen Mönchen* Kloster appellatum, quod anno 1502. quo Serenissimus Elector Saxonie *Fridericus Sapiens* Academiam Wittebergensem fundavit, in ima Urbis parte sumptu *Georgii Principis*, qui primum lapidem posuit, exstructum, variisque ædificiis pulcherrime exornatum fuit. Docuit in eo primum *Clarissimus ille Theologus Gorianus Franciscus Myconius*, qui anno 1510. hoc Cenobium tanquam Monachus ingressus, & anno Reformationis 1517. inde iterum exiit. Post reformationem Annabergæ anno 1539. ut deinceps audieramus, tentata, detrimentum magnum sensit, seculoque superiori per incendia plane destrutum atque devastatum est, in qua solitudine hodie adhuc deprehenditur. Hoc excipit *Templum metallicum*, vulgo *die Berg Capelle s. Berg Kirche* dictum, quale in Saxonia nostra nullibi reperitur. Excitatum illud est eodem anno 1502. in Metallicorum usum, atque primum missarum celebrationi, vigente sub papatu superstitione, destinatum. *Diveque imprimis Marie* consecratum fuit. Hodie vero postquam superstitiones papales ex Ecclesia nostra eliminatae sunt, longe meliores usus præstat. Etenim per singulas fere septimanas, præcipue tempore æstivo, binæ Conciones à peculiari Metallurgorum Concionatore in illo habentur, quas non solum Metallici, verum etiam cives ac incolæ alii diligenter frequentare solent. Extra oppidum si nos recipiamus, aliud adhuc *Templum SS. Trinitati* dedicatum cum adjuncto *Xenodochio & Camerario* deprehendimus. De quo istud saltem hic observare liceat, quod non ita pridem faciem pristinam mutaverit, atque veteri illa exuta novam & ampliorem formam induerit. Ara & suggestus in eo pulchra sunt & conspicua, reliqua vero structura adhuc admodum rudis & decoris expersa est. Quare optandum foret, ut Deus Benefactores quosdam excitaret, qui bñi-

benevolentia atque liberalitate ducti sumtus ad exornandum illud suppeditarent. Quo ipso non solum Templo huic, verum etiam nominibus suis splendorem plane eximum redderent. Sacris ædificiis merito subjiciendum est egregium scholæ ædificium Senatus munificentia atque liberalitate eorum, qui ex venis metallicis ditati erant, admodum sumptuose atque eleganter exstructum. Numerat quatuor Auditoria doctrinæ publicæ destinata eaque satis ampla, & docentibus etiam quibusdam commodissima habitacula præberet. Insuper quoque Bibliothecam multorum & præstantium virorum monumentis instructam ostentat, multisque aliis rebus ad usum & delectationem compositis pulcherrime exornatum est, ut ideo Jenifus noster, Rector quandam hujus scholæ, multis per provinciam schoolis anteponendum illud existimat. Nec profecto hic silentio prætermittenda est amplissima atque splendidissima Curia senatoria, quæ apud forum eminet, & abhinc aliquot annis renovata atque exornata universæ urbi singulare ornamentum addit. Addi possent Curia Metallicorum, domus frumentaria & mercatoria, moneta cuendæ officina aliaque ædificia plura, quoniam vero hodie vel destructa jacent, vel aliis usibus sunt destinata, horum enumerationi diutius immorari dubitamus.

§. XI. Pergimus itaque ad Religionem, quæ est quasi vinculum quoddam, quo animi hominum cum Deo aeternis copulari & conjungi solent. Illius autem facies ab initio conditæ urbis admodum deformis, variisque fallæ doctrinæ foribus inquinata fuit. Etenim pro temporum ratione non pura illa & ab Apostolis accepta Evangelii doctrina insonabat, sed quæ multis humani ingenii commentis ac superstitionibus depravata, Christo unico nostro Mediatori plures alios intercessores associat, hominibusque per merita Sanctorum remissionem peccatorum & salutem aeternam promittit. In hac manifesta impietate, ut nihil plane deesset crassissimis Pontificiorum erroribus, cives nostros quandam magnopere confirmavit famosus ille Aeruscator Job, Tezelius, qui ipse anno 1508. indulgentias suas mercenarias Annæbergæ primum exposuit, verbisque phaleratis & clamoris sacrificiorum concionibus, quo sibi coemerent eas, mirum in modum extulit. Ejus rei ergo Jenifsum nostrum succincte admodum & eleganter de hisce indulgentiarum nundinis P. I. cap. XIX. p. 58. differenter adducimus: *Nam ut ordiamur, ait, annon manifestam impietatem incurront? qui per indulgentias are partas hominum peccata expiari falso cum ipsi crediderunt, tum aliis, idem ut crederent, vase ac subbole persuaserunt. Quam ut mercem non probam Job, Tezelius Secunda Dominicana Mo-*

nachus

nachus ut vendibiliorem efficeret, improbe in oppido extrusam, verborum Phaleris miram in modum ornavit. Factum id anno 1508. quo in mancra sacerdotem adjicto Doct. Baumhauero, oppidum ingenti incolarum plausu pri-
mum intravit, lignoq; crucis simulacro eo in loco eretto, quo Aram D. Anne
consecratam fuisse supra diximus, nummis datis gratiam homines consec-
tueros confiteenter docuit. Duravit infans illa in annum 1509. quo deposita
circa Georgii diem crux lignea, instante populo anno sequente 1510. Martio
ineunte restituta eodemque iterum anno, Julio Mense, solemniter depos-
ta est. Idem Tezelius diplomatum, quibus delictorum venia summi pon-
tificis autoritate hominibus concederetur, instituorem se in urbe, tertia ante
paschatus festivitatem Dominica anno M. D. XVII. praecepit. Secuti ejus
exemplum Franciscani, suppresso Christi merito, quod ad expianda pecca-
ta unum abunde omnibus sufficit, Missas, indulgentiarumq; nenia exquisi-
tis laudibus extulerunt, easque populo statim anni temporibus, reclusa in re-
bus signum aurea, quam vocabant, portâ distribuerunt. De Tezelio p. II.
p. 36. ad annum 1508. annotavit, quod hospitium suum habuerit in ædi-
bus Laurentii Pflock, concionatus strenue, conviviisque luxu ac lusu im-
pense delectatus fuerit. Euge bonum Concionatorem! Nihilominus
tamen populus tenebris Pontificiis valde immersus & ad superstitiones
admodum proclivis nundinas ejus diligenter frequentavit, seque miseri-
me à nefando illo Ærascatore decipi & seduci passus est. Nec profecto
abhorruit Annaeberga nostra ab improbo illo & superstitioso sanctorum
cultu, q; ippe qui cum reliqui erroribus papalibus ipsi à Duce Georgio
amplectendus serio commendatus fuit. Imprimis vero commendatam
sibi habuit D. Annam, Aviam Christi, inque ipsius cultum à laudato Prin-
cipe in M:nia noviter instauratum coco quasi impetu ruit. Namque
non solum Templum, Altare & statuas Cives ac incolæ in ejus honorem
erexerunt, urbem ipsam & campanam ipsi consecratarunt, verum etiam e-
andem ceu Patronum suam invocarunt, reliquias ejus sanctissime asserva-
runt, vota ipsi fecerunt, atque divitias & opem ab illa expetierunt, quem-
admodum hisce Capitibus universum Annæ cultum in patria olim vigen-
tem ex Jenise nostro aliisque nuper egregie absolvit Excell. Dn. D. Gætius
in Difert. supra laudata de hac materia Th. III. p. 14. sqq. Qua in re cuia
nobis fecerit otia, Lectorem Benevolum ad eam ablegamus, ulterius nunc
indicantes, cultum aliorum quoque Sanctorum olim Annaebergæ viguisse
Primas vero post Annam obtinuit filia ejus Maria Mater Christi, cui non
solum Templum metallicum consecraran, verum etiam imaginem
in illius honorem in atra, suggesto, baptistero aliquoq; in locis exhibue-
runt

funt, non alium sine dubio in finem, quam ut ipsi quoque cultum debitum decernerent. Quod vero ad alios attinet, putamus & horum cultum An-
næbergæ non planè fuisse eliminatum. Namque de ipsorum etiam exuvia
is ossa & reliquias nonnullas collegerant, multasque ipsi statuas argenteas
erexerant, de quibus ingenuè satis & curiose Jenissus nosfer, postquam D.
Anna reliquias commemoravit, l.c.p. 59. ita edidicerunt: Quo anno (sc.
1510.) Henricus Güntherrod, equestris ordinis vir, ut & Gerhardus Stein rei
nummaria p̄fector de D. Christophori aliorumque ut opinio fuit) Di-
vorum exuvia in urbem officula intulerunt, cum triennio ante de Euphemia,
Pancratio, Innocentibus, Erasmo, Barbara aliisque nonnullis particulis ad
urbem fuisse delatae. De D. Catharina reliquias Doct. Külingus urbi di-
cavit, cuius exemplum secutus Laurentius Jeger, Antistitis Grünbainensis
operâ defunctorum ossa haud paucâ ad urbem detulit. Argenteæ statue
raulæ cum fuerint, præcipuas duntaxat enumerare visum est. Principem
sibi in hâ locis vendicavit D. Anna statua - - Eam Deipara Virginis sta-
tua excepte, hanc Dorothæ, alteriusque Diva idolum: Nicolai item, Cbri-
stopori, Apostolorum omnium divisorumque statue ingenti numero, quarum
nonnullæ ut & D. Anna statua collectio ere, plurimæ ab iis, qui ex venarum
ubertate ditati fuerant, comparatae temploque dicatae sunt. Accesserunt
cerce statua, oscilla, signaque è tholis suspensa non paucâ. Omnes porro
Divorum imagines statis temporibus impriratisque 26. Iulii populo ex edi-
tiori Templi loco atque eo quidem, quo e pensili ambulacro Meridiem ver-
sus ostiolum in viam publicam se fundit, monstratae, ac etiam non adoratae
sunt, dementatis hominum animis monachorum clamoribus, qui sanctorum
opera sanctissimo Christi merito equabant. Argenteæ Divorum simulacra
Heinrici Duecis auspiciis, Georgio Fratre humanis rebus exemto, in meliores
usus cesserunt. Hinc conjectu est facillimum, majores nostros densissi-
mis tenebris involutos D. Annam cum reliquis Sanctis majori honore
habuisse atque ipsum Christum ejusque meritum, quippe cuius vel nul-
lam, vel exiguum saltum mentionem tum temporis injecerunt. Imo cum
Anna Templum maximum, Marie non adeò magnum, at SS. Trinitati cap-
pellari exiguum extra urbem dedicaverint, quod Celeberrimus Götzius
quoque in sua Dissert. p. 17. observavit, quivis potest colligere, verum
Dei cultum sanctorum cultui magnopere fuisse postpositum.

S. XII. Quam primum autem acerrimus ille prioris doctrinæ Vindex
B. nosfer Mart. Lutheru, contra Texelium ejusque indulgentias Wittebergæ
surrexit, & doctrinam à Pontificiorum quisquiliis purgavit, majores etiam
nostrí

nostri Evangelii luce collustrati, è tenebris papalibus subinde emergere cœperunt. Cumque post Reformationem varia conciones Evangelicæ vicinis in locis haberentur, ipsi quoque desiderio illarum incensi clam eò ad audiendum commigrârunt. Et licet multi essent, qui interea ob agitam cœlestem veritatem in vita fortunarumque discrimen venerunt, nihil tamen veriti minas, carceres & exilia Dux Georgii clàm eandem profecti sunt. Postquam verò jam laudatus Princeps anno 1539. è vivis excellerat, & fratri ejus Serenissimo Principi Heinrico dominium urbis quoque cesserat, hujus auspiciis religio mutata & à superstitionibus Pontificis penitus repurgata fuit, quod prater Jenesij Dresseru quoque l.c. annotavit, ubi ita habet: *Doctrinare religionis reformari quidem cepit anno 1527. sed sub Heinrico Duce demum ad Augustanæ Confessionis normam traducta est.* Primam Concionem Evangelicam in maximo Anna Templo M. Paulus Lindenavius quartâ à paschate Dominicâ, & alteram in Franciscano Frid. Myconius habuit, eodem die, qno missa sacrum recepto in repurgatis Ecclesiis more, Germanico idiomate ingenti populi concursu celebratum est. Paucis interjectis mensibus Heinricus Princeps optimus & piissimus aliquos, qui Ecclesiæ inspicerent, misit, quorum in numero fuerunt Justus Jonas & Georgius Spalatinus, fidelissimus ille Luberti Parastata, qui oppidi hujus Pastores, ut & eos qui locis finitimis Ecclesiæ rixerunt, serio sunt cohortati, ut veram Evangelii doctrinam in Scripturis sacris & Augustanâ Confessione ejusque Apologiâ comprehensam amplecterentur, suisque auditoribus imposterum sincerè traderent. Monachis verò Franciscanis injunxerunt, ut & ipsi superstitiones Pontificias missas facerent & adversus Evangelii doctrinam ejusque sinceros professores nihil quicquam molirentur. Quod cum plerique illorum neglexissent, anno in sequente Inspectorcs reversi eos dimittendos censuerunt. *Conf. Jenesius l. c. p. 59. b. sy.* ubi hæc omnia fusius commemorat. Atque hæc ratione tenebræ Pontificiæ transferunt, clariorque veritatis cœlestis lux urbi exorta haec tenus per Dei gratiam radios suos tam feliciter extulit, ut ab eo tempore ne minimam quidem nubeculam ipsi fuisse suffusam audiverimus. Pro quo insigni beneficio Deo grates maximas decernimus, exoptantes, ut in hæc præclarâ Evangelii luce amantisimam patriam ulterius quoque benignissimè conservet.

§. XIII. Atque exinde multum omnino laudis & celebritatis opido huic accedere nobis persuademus, quod nimis ab eo tempore, quo Ecclesia Dei in his regionibus florere cœpit, purum verbi divini

præconium hic semper etiam obtinuerit, & Ecclesia pariter atque schola Viris doctissimis atque præstantissimis abundaverit, de quibus forsitan, imposterum quoque peculiariis Dissertatione poterit exhiberi. Quod vero imprimis Scholam attinet, non possumus non hic magnopere commendare Epistolam à Davide Crinito ad Georgium Milium, Restorem perscriptam, & à Dn. D. Gærtzio in laudem scholæ hujus Dissertationi sue cit. p. 33. insertam: & quæ habet Albinus l. c. p. 33. Unter den Stadt-Schulen sind die berußensten und wohlbestelltesten zu Zwickau/ Freyberg/ Annenberg/ Schneeberg/ Leipzig/ Orgau/ Dresden Chemnitz scilicet. Nec minus Politia optimis legibus ac institutis temperata inque eadem Viri consultissimi atque doctissimi haec tenus semper floruerunt. Quia in re Dresserus l. c. nobiscum consentit. Magis autem ornarunt atque illustrarunt patriam illi celebres Viri, qui ortum inde trahunt & in Ecclesia Christi, Republica & Scholis passionis suis præclaris meritis immortale nomen adepti sunt, in qua capite II. Dissertationis nostræ commemorandi veniunt.

¶. XIV. Incrementa quod attiner, illa dederunt varie divites fodinae metallicæ, ex quibus cum supra quasdam §. 4. quæ occasionem urbi condendæ præbuerunt, numeravimus, unicam tantum vel alteram, adhuc significasse hoc loco sufficiat. Anno nimirum 1536. florere aliqua cepit, quæ dicitur ab exercitu caelesti das Himmelsche Zeer/ quæque præ ceteris cultores suos opibus magnopere auxit. Civis noster Matth. Behm ita de ea cecinit:

Hinc CHORUS aetherus sic fausto nomine dictus

Excellens vena fertilitate sue.

Argenti precio cives hic juvit & auxit,

Atque peregrinis ad fuit ille viris.

Non fuit ubertas venarum talis ad urbem

Coudita, maiores unde tulisset opes.

Albinus in Chronicō suo P. II. p. 44. tit. 5. etiam nonnulla de hac fodina annotavit, quæ hic adjicere placet. Ita vero ait: Nachmahl ist auf diesen Annenberg sehr im Beruff kommen eine Zech/ das Himmelsche Heer genandt/denn das Silber so darauf gemacht worden auf 42000. fl. Reinish geschäfht worden / dran einsmals auf ein Quartal 1000. fl. auf einen Kucks Aufbenth gefallen / wie Matthæus annotirt, auch 800. wie Agricola &c. Specialiora quædam ex B. Schreiteri, Annabergensis, Decimus metallicis notavit Dn. D. Gærtzius l. c. p. 26. sy. quæ conferri possunt. Haic addenda est alia dives fodina, cui à lupo rabido nomen inditum est, quæ

que Germanicè ni fallor dicta fuit, der Graue Wolff & Cives suos valde etiam ditavit, quemadmodum Bohemus noster l. c. attestatur:

Denuo supremi celebris dos magna Tonantis

Ad saxum rabidi nunc sita fossa lupi.

Exhilarans inopem nostro quoque tempore plebem,

Non secunda suis desinit esse bonis.

His alias multas postmodum apertas superaddere possemus, quia vero nimis longum foret omnes hic commemorare, hæc dixisse de patriæ præci-
pui incrementis sufficiat.

§. XV. Utinam vero hæc incrementa ex fodinis metallicis patriæ perpetua constituerent, ac illa nunquam ab insigni isto flore suo defecisset! Ast idem illud est, quod eo magis nunc deplorandum, quo magis ja-
sturam istam hodie sentit. Admiranda autem hic imprimis est illa fatorum varietas, quam per duo, quæ vidit, secula, experta est. Nam quemadmodum prius sc. XVI. vere beatum & felix ob redditum Evangelii doctrinam & largissimum venarum metallicarum proventum ipsi apparuit: ita posterius modo clapsum tempora certe dura & difficultia attulit. Quiaquo ipsum hujus seculi XVII. initium universæ urbi valde exitiosum & fatale fuit, siquidem anno 1604. d. 27. April flamma ex Automatarii fabrica erumpens XII. horarum spatio ædificia omnia tum publica tum privata cum omni ornato suo duodecim ædificiis iisque vilissimis ac templo Annae exceptis, consumpsit, & sic totam fere urbem in cineres rededit ac miserissime devastavit. Quam acerbe miserabilem hanc ejus ruinam & cladem Viri passim celebres deploraverint, fuisus cognosci potest ex Jenissio nostri libello de patriæ desflagratione Dresda edito, quo si-
mul Epistola ac Threnodia quorundam clarorum Virorum de eodem ar-
gumento ad ipsum perscriptæ continentur. Annum hujus incendiī hic versus indicat:

EXVSI V's per IIl Mons DIVanobILIs Anna,

SVripVIl partas IognIs aVarV's opes.

Reliqua duo incendia, quæ anno 1630. & 1664. subsecuta sunt, admô-
dum funesta & gravia, quidem non sunt, atque primum illud modo
memoratum: interim tamen utrumque maximam & optimam
urbis partem cum præcipuis ædificiis, & templum excipias, semper
consumpsit ejusque decrementum magnopere auxit. Huc multum quoq;
contribuit bellum illud funestissimum trigesimal, quo tota Germania
correpta, optima quoque patria hostium libidini exposita, variisque ex-
actionibus & deprædationibus graviter vexata atque pene in pulvrem

depressa fuit. Ut taceamus luem contagiolam, a nonne caritatem aliaq; ma-
la plurima, quæ Gives sèpè affligerunt & urbem penitus fermè decrese-
re haec tenus fecerunt. Finem autem huic Capiti impositori Deum rogamus,
ut patriam nostram imposterum quoq; e sibi commendatissimam habeat,
incendia, bella aliasque calamitates, quibus præterito seculo eandem
visitavit, clementissime avertere, eandemq; larga venarum ubertate aliis-
que felicitatibus plurimis iterum exhilarare velit, siue novum hoc se-
culum ad modum prioris illius XVI. prosperrimum atque beatissimum
Civibus omnibus defluere patiatur.

CAPUT II.

de

VIRIS CLARIS ANNÆBERGÆ.

SECTIO I.

de

THEOLOGIS.

§. 1. Inter Theologos, quos patria dedit, primus & celeberrimus
est ERASMUS SARCIERIUS, Vir pietate, gravitate & eruditione ad-
modum conspicuus, deque Christi Ecclesia immortaliter meritus. Ipse
enim cum aliquamdiu iuventutis scholasticæ docendo & informando can-
dem præfuisset, postmodum quoque operam insignem Ecclesiæ præfici-
tit, quippe non postremus inter eos, qui à B. Luthero repurgatam do-
ctrinam gnaviter propagarunt, eandemque tum voce tum scriptis contra
Pontificios strenue defenderunt. Imprimis vero vel ideo adhuc hodie
eminet, quod disciplinam ecclesiasticam, cuius emendationem quidem
B. Lutherus tentabat, ob interventionem vero mortem prosequi non po-
terat, ulterius promovere atque perficere omnibus viribus annis est.
Arque his & aliis meritis inter Eruditos tantopere exsplenduit, ut affir-
mare non dubitemus, vel solum Sarcerium nominis sui celebritate patri-
am satis ornare ac illustrare potuisse. Hinc etiam varia conspiquuntur
elogia, quibus passim ab Eruditis celebratus fuit, & quorum infra quædam
addicemus. Jam propius nos conferemus ad exponenda ea, ex quibus
vita ejus contextur, & merita ipsius paulo pleniùs cognosci possunt.

§. 2. Aspergit autem SARCERIUS noster hanc lucem statim sub in-
cunabula Annæbergæ, non quidem quod Boiffardus (a) & Dresserus (b)
existmant, anno 1500, sed potius anno 1501. in quo reliqui fere omnes,
qui mentionem ejus fecerunt, consentiunt (c). Patrem habuisse credi-
tur

efodinis metallicis viventem, Virum quidem ignobilem atque obscurum, postmodum vero è re metallica multis fortunæ accessionibus auctum atque locupletatum. Speciosas hæc divitias uti ex benignitate diuina sibi concessas probe intellexit, ita non male se facturum judicavit, si filio quoque suo exinde subveniret, & partem quandam in studia ejus excoleenda converteret, præsertim cum non vulgaribus ingenii dotibus cum instructum cognovisset. Hinc motus magnopere illum in patriæ Seminario primum, deinde & Freibergæ humioribus disciplinis ac linguis expoliendum curavit, in quibus etiam singulari diligentia adeo profecit, ut non sine fructu studia altiora amplecti, animumque iisdem perpolire potuerit. Quare circa idem illud tempus, quo *Lutherus, magnus ille Ecclesie nostræ Vindex* jam incepturn saluberrimum opus Reformationis urgebat, Lipsiam venit atque Wittebergam, ibiq non solum studiis Philosophicis mentem probe excoluit, sed imprimis etiam sacris literis egregie navavit operam, inque rebus Theologicis fæse admodum exercuit. *Huic eruditioni conjunxerat etiam pietatem, ut verbis Pantaleonis (d) utamur, vita innocentiam & naturalem quandam facundiam, ut adeo veram illam Evangelii doctrinam tum concionando cum magno pictatis Zelo, tum scribendo feliciter propagare atque illustrare potuerit.*

(a) Joh. Jac. Boissardus P. III, Icon, XVI, p. 88. (b) Mauthæus Dreslerus *Istoges Hist.* P. III, p. 218. (c) Eruditæ pauci qui de Viris claris & illustribus scriperunt, horum queque numero Sarcretum nostrum annumerarunt. Quales sunt præter jam citatos, Heinr. Pantaleon de Viris illustribus Germaniae P. III, p. 270: Melchior Adam in *Vitis Germanorum Theologorum*: Georg. Matthias Kemig in *Bibliotheca Veteri & novi* p. 724. M. Wolfgang Krieger in Catalogo milie Virorum illustrium p. 81. Petrus Albinus in Choton, Misn, P. I, p. 184, aliisque plures. (d) Pantaleon l. c.

§. III. Cum itaque mentem suam iis hactenus erudiisset studiis, quæ usibus Scholæ & Ecclesiæ ampliori curâ aptari poterant, anno 1530. quo Augustana Confessio Imperatori Carolo V. in Comitiis Augustanis exhibita fuit, vocatus est Lubecam, ibique, teste illustri Seckendorffio (a) primus Scholæ Conrector cum singulari discenti in fructu bonas literas & religionis Christianæ fundamenta tradidit. Quo vero melius juventuti scholastice prospiceretur, scripti Exercitia Dialectices & Rhetorices, magnopere cum temporis & stimata atque commendata. Imprimis vero Rhetorica (b) ejus eam ob causam adhuc laudanda est, quod non tam in coacer-vandis præceptis occupetur, quam potius exemplis jucundissimis referta rem illustrat, ac subinde eximiā historiæ notitiam spiret. Quamvis au-tem libenter Lubeca diutius mansisset, attamen amplius propter religio-nem

nem toto ibi vivere non potuit, quoniam Imperator Carolus V. Lubecenses (c) quoque Romanæ iterum Ecclesiæ placita sequi jussérat. Quapropter secessit Rostochium, & in ludo literario juventutem eruditivit ac instituit. Exinde venit Vietnam in Austria & Graciā in Styria, ubi res suas iterum egregie gessit ac non minori, quam antea solitus erat, dexteritate, docuit. Dum autem in his quoque regionibus periculum vitæ & religionis ab hostibus veritatis Evangelicæ ipsi imminebat, Lubecenses in tuto jam degentes è Styria eum revocarunt, ut ipsorum Scholam nunc regeret, & qua fieri poterat cura atque diligentia amiciniores literas iterum traderet. Nec male profecto hanc spartam ornavit, siquidem in pellen- da barbarie omnem operam adhibuit, & nihil omisit, quod ad promoven- das scholarum utilitates facere poterat. Quibus omnibus certe de re literaria non minus meritus est atque illi, qui perpurgatis in Germania pa- sim scholis renascentem literaturam adjuverunt, & bonas literas pristino, quo in Gracia Latioque exsplenderauit, nitori restituere laborarunt.

(a) Lutherini Lib. Sc̄t. 36. §. LXXXIV. p. 219. edit. in fol.

(b) Circa Rhetorican ejusmodi quoque annotare hic placet, quod cum in editione priori exempla multa sub variis nominibus fictitiis adduxerit, ipse quoque ignorans nomine Nicolai Gerbellini adhibuit Doctorem quandam Argentoratem eodem nomine gaudentem offendit. At postquam fuit admotus, & ipse Nicolaum Gerbellium nosce caput, vehementissimè doluit, se in bello isto Rhetorico abusum esse Gerbellini nomine, eupham etiam quæ proflus exiguariora ortum traxerat, publice in posteriore editione depre- catus, nomen Gerbellii ibidem delevit, ac omnibus in prefatione testatum fecit. Se nun- quam habuisse animum D. Gerbellio inimicum atque infestum. (c) Conf. Magnif. Dn. D. Rechenberg, Praeceptor noster. Cum in operé devenerandus, in Summario Hist. Eccl. Periodo V. cap. I. Sc̄t. III. §. 9. p. 565.

S. III. Postquam autem haec tenus diu multumque in pulvere scho- lastico desudaverat, & ad gerendum munus ecclesiasticum se magis præparaverat, nomen ejus latere non potuit, quin potius per Germaniam ita efflourit, ut etiam illustris Comes Nassoviae Gvilielmus eruditione ejus haud vulgari invitatus ipsum ad se vocarit, & Ecclesiarum suæ ditionis Pasto- rem atque Antistitem constituerit. Quemadmodum verò laborum erat patientissimus & in disciplinâ ecclesiastica exercitatissimus, ita etiam officium hoc gravissimum omni curâ omnique fidelitate administravit, & ut Dresseri verbis utar, Episcopi veri, integri ac constantis munere functus est. Non enim tantum puram Evangelii doctrinam tradidit, verum etiam Ec- clesias sibi conceditas ad repurgatam illam religionem ordinavit, & si quid temporis à curis gravioribus supererat, conficiendis bonis libris im- pendit. Quâ ratione cum ad annum usque 1548. muneri suo optimè præ- fuisse, tempora omnibus bonis & sinceras Ecclesie Doctoribus infensa at- que

(25)

que inimica inciderunt, ut ipsis amplius sine periculo degere non licuerit.
Namque Imperator Carolus V. eodem anno novam religionis formam
conscribi curabat, eamque Imperii Statibus interim amplectendam at-
que servandam obtrudebat, donec religionis controversiae Concilio Tri-
dentino essent compositae, unde etiam formula ista nomen INTERIM
acepit. Quare factum, ut multi pii Doctores Librum istum approbare
nolentes ex variis passim locis migrare atque solum vertere coacti fuerint;
Quinque etiam Guilielmus, Comes Nassovius, formulam illam suscipere
cogeretur, neque tamen Sarcerius noster candem sequi vellet, Imperato-
re sic jubente ab ipso discessit & ad loca tutiora se se contulit, quemadmo-
dum hoc. *Sleidanus de Statu Religionis & Reipubl. Comment. Lib. XX. fol.*
248. de illo quoque commemorat.

§. V. Munere suo itaque privatus inque exilium tristissimum missus,
ipse nescius quo se verteret, venit tandem in patriam supererrimè à super-
stitionibus Pontificiis repurgatam, ibique asylum tutissimum invenit. Do-
lendum verò est, optimo nostro Sarcerio non statim aliud quoddam mu-
nus splendidum potuisse deferri, quod sine dubio factum fuisset, si functio
eiusmodi ecclesiastica hoc ipso tempore debuisset expleri. Interim ta-
men ne tempus in patria nihil agendo videretur consumere, varia con-
ciones de pitorum cruce ex Matth. X. in summo urbis templo habuit, quas
etiam sequenti anno in publicum emisit, uti probè annotavit *Jenissius l. ca*
P. II. p. 28. Aliquamdiu verò in patria commemoratus vocatus est Lipsiam,
ubi templo Thomano praefectus munus Pastoris insigni gravitate gesse; & con-
ciones eruditas, acres, ardentes, amplas & copiosas habuie, verba sunt
Dresseri l. c. Quà in re etiam omnes, quotquot ipsis mentionem fecer-
tunt, consentiunt. *Boiffardus* in eo saltem erravit, quod putat, eum pri-
mò Lipsiæ Ecclesiasten, ac deinde Nassoviæ Comitatus Pastorem fuisse;
cum tamen ex reliquis certius constet, illum primò Ecclesiastis Nassoviæ re-
xisse, ac demum postea, ubi ob formulam *Interim* ab iis discessit, Lipsiam
venisse, veramque Evangelii doctrinam cum aliis propagasse.

§. VI. Verum etiam Lipsiæ diu subsistere non potuit, quippe denuo
fatis sic volentibus Islebiam anno 1554. evocatus in Comitatu Mansfeldi-
co inspectionem omnium Ecclesiarum in se suscepit, illasque teste *Albino*
(a) iterum in bonum ordinem redegit. Cum enim post mortem Lutheri
contentiones de *Adiaphoritis*, *Synergismo*, *Zwinglianismo* & *Majorismo* fer-
vere magis in Saxonia inciperent, Ecclesiæ etiam Mansfeldicæ imprimis
controversiâ illâ D. Joh. Majoris de necessitate bonorum operum ad salu-

rem, valde fuerunt turbatae. Ut vero etiam hoc dissidium tolleretur, sva-
su atque consilio *Sacerii Islebii* in curia Senatoria anno 1554. Synodus fu-
it habita, in qua doctrina Majoris de necessitate B.O. ad salutem tanquam
falsa & erronea fuit reprobata, uti *Nicander* (b) in *Ecclesiæ sua Mansfeldi-*
ca de ipso testatur. Atque exinde colligere licet singularem ejus curam,
quam pro concreditis sibi Ecclesiæ adhibuit, & vel hoc ipso quoque de-
monstravit, quod crebras Synodos celebravit, & in illis non tantum circa
veritatem Evangelii sartam teatamque conservandam, sed & imprimis circa
disciplinam ecclesiasticam emendandam omnia optimè dispositi. Insu-
per etiam de Ecclesiæ Mansfeldicis id è præclarè meritus est, quod creber-
rimas Parochiarum visitationes instituit, omnes defectus accuratè obser-
vavit, & quantum fieri potuit, emendavit, adeoque operà & labore suo Ec-
clesiæ commoda maximopere promovit. Imo quo consulteret etiam po-
steritati, peculiarem *Librum de annis Parochiarum Visitationibus publica-*
vit, in quo non tantum virtus & defectus quosvis accuratissimè designat,
verum etiam perspicuè ostendit, qua ratione tolli & emendari debeant.
Ut nihil jam dicamus de reliquis ejus scriptis ad disciplinam ecclesiasticam
pertinentibus, quales sunt, *de fulmine ecclesiastico*, *de Consistoriis* aliisque,
qui certe adhuc hodie magni æstimationis, & inter Theologos atque Erudi-
tos passim suos amatores inveniunt, exoptantes, ut typis publicis iterum
communicarentur. Hoc tamen præterire non possumus hisce meritis *Sar-*
cerium nostrum suo tempore ita inclinuisse, ut etiam Serenissimo Electo-
ri *Augusto* magnopere fuerit commendatus, dignissimus, qui supremam o-
mnium Ecclesiarum in regionibus ejus inspectionem susciperet, id quod
Albinus l. c. ex Wellerio adducit. Qua vero de causa munus hoc splendi-
dissimum non sustinuerit, à nobis enarrari non potest. Præterea nec istud
omitendum est, quod cum anno 1557. *Wormatæ colloquium* in religionis
causa indictum est, eidem quoque *Sacerius noster* cum Erhardo Schne-
pfo, celeberrimo illo Würtembergico Theologo, Victorino Strigelio, Jo-
hanne Strosslio & Joachimo Morlino, juniorum Saxonie Principum le-
gatis interfuerit. In quo cum Julius Pflugius, Episcopus Naumburgensis
& colloquii Præses petisset, ut Augustanæ Confessionis socii se à Zwin-
gianis, Osiandristis, Adiaphoristis & Synergistis sejungenter, *Sacerius*
cum collegis suis prolati mandatis, se ab illorum erroribus suam confessi-
onem secernere professus est. Verum Melanchton ante cognitionem
causæ Zwingianos, Adiaphoristas & Synergistas, uti Brentius Osiandrum,
damnare minimè oportere contendit. Exinde arreptâ occasione Ponti-
ficii

ficii in colloquio procedere noluerunt, atque sic Theologi omnes re infecta domum discesserunt.

(a) c. P. I. p. 356. ubi de Sacerio italoquitur: *Von Leipzig ist er gen Eiselen bernissen worden/ da er die Kirche widerumb in que Ordinaria gehabt.* (b) L. Joh. Gotrof. Nicander, Ecclesie Mansfeld. Superintendentis Generalis in Ecclesia sua Mansfeldica Islebi anno 1674. edita, de Sacerio sequentia adducit, Erasmus Sarcarius anno 1554. Lipsia accitus anno 1559. Magdeburgum vocatus moritur.

Anagramma duplicito C. *SIC MURUS SACER ERAS*
Sicut ERAS SACER in vita rebusque secundis,
Firmus in adversis sic quoque MURUS eras.

Prima synodo Majorismus sub tertio Superintendente Generali Dn. Erasmo Sacerio anno 1554. Islebi in curia senatoria re prefissi & decreto synodali scriptoque synodico publice electus est, Omnia decreta synodalia de annis 54. 57. 59. a Dn. Sacerio composita & publicata &c.

¶. VII. Tandem anno 1559. *Sacerius noster Islebiā Magdeburgum* vocatus ad Ecclesiā gubernationem suscipiendam abiit. At vero & hic minus diuturnam vitam egit, sed statim quatuor duntaxat concionibus habitis calculi doloribus confectus ex hac vita mortalis statione ad triumphantis ecclesiā consortium migravit anno 1559. d. 28. Nov. (*) et atatis 59. non-dum completo. Elatus autem est cum luctu civium concionem funebrem habente Joh. Wigando, que & typis exscripta extat, uti docet *Adam i. c.* (**) Annotavit hoc quoque *Iesuſ i. c. P. II.* ad annum 1559. p. 32. anumque obitus sui duplīcī hoc disticho indicavit, quorum alterum ita:

ExpertVs Varios LVCTVs In IMIcaque Letho

SatCerlVs Vlt̄e finit aCta sVæ.

alterum hoc est :

Te qVoqVe SarCerIVM post tanta perICVLa IesVs

EXCIPt eX IstIs In IVa regna LoCIs.

¶. VIII. Expositis itaque vitæ ipsius gestis meritisque in Ecclesiam, adducenda quoque sunt ingenii monumenta, quibus gloriam insignem obtinuit & famam nominis sui ad omnem posteritatem propagavit. Placet vero sequenti ordine illa exhibere: *Dialectica & Rhetorica in usum scholarum scripta. Carechismus Lipsie anno 1550 editus, & à Wagnero in vernaculum translatus. Methodus nova in pricipios scripture divina Locos, antea ea fide & illo ordine nec edita nec visa, in Theologorum usum, primum Marpurgi anno 1539. deinde Basilea anno 1546.*

¶. Loc hi communes Theologicum temporis tanti fuerunt habiti, ut etiam Rex Angelia Heinricus II X illos in Lingua Anglicanam transferri curaverit. Quod ipse indicavit Sacerdos noster in Epistola dedicatoria ad jam laudatum Regem Postillæ sua Evangelica premissa.

Dictionarium Doctrina Scholastica.

Confensus Ecclesiae & Patrum, in primis Augustini super pricipios Articulie religionis Christianae, Francfurti anno 1540. D 2 Liber

- Liber de cavenda veterum Papistarum crassis & novorum Sophistarum infidiosis erroribus.
- Doctrina Christiana Evangelica & Pontificalia, quatenus utraque verbo Dei & Patrum sententia est munita cum refutatione doctrine falsae, publice typis mandata, prodit Lipsia 1550, oder Haßbuch von den Artikeln der Christl. Religion.
- Liber de mediis conservandi veram religionem, Germanice in fol. Islebie.
- Tractatus de Officio Magistratus & Subditorum.
- Tractatus de Justitia, que coram Deo est, & bonis operibus.
- Corpus Juris matrimonialis, von Chestand in fol.
- Liber veterum & recentiorum sententias de conjugio & divorcio complectens, impressus Germanice.
- Libellus de fraterna reconciliatione, Germ.
- Consolatorium scriptum de suis Liberis ad Christianum Comitem, Germ.
- Liber de cognitione Veritatis, Germ.
- Liber de passione & morte nostri Salvatoris.
- Summaria in V. & N. T. duobus Tomis comprehensa, Lips. an. 1558.
- Expositiones in Syracidem.
- Scholia in 4. Evangelistas, ad perpetue Textus coherentie filum, separatis edita.
- Scholia in Acta Apostolorum, que Commentaria fusissima esse possint.
- Scholia in Epistolas Pauli ad Rom. Gal. Epb. Philippenses & alios Libros V. & N. T. Francofurti anno 1542.
- Postilla Evangeliorum Domin. & Festivalium Francofurti anno 1539.
- Expositiones in Epistolas Dominicales & Festivales ad methodi formam fere absolutas.
- Auslegung über die Sonntags Evangelien und Episteln.
- Fest. Evangelien Postill.
- Conciones de piorum cruce, oder Kreuz Büchlein.
- Predigten von Zeichen und Ursachen warumb Deutschland Unglück gehrohet wird.
- Sermones de paenitentia, de modo revocanda discipline &c.
- Wasserpredigten / Eisleben anno 1571.
- Pastorale von Kraft und Nutzen der Tauffe.
- Dialogus de Conciliis & Synodis cum Generalibus tum Provincialibus, item de visitationibus & in specie de nuper habita synodo & visitatione pro Pastoribus Comitatus Nassavensis sub Dn. Gvilielmo Comite simul explicans ejus.

ejusdem Visitationis acta, qua cognita alio etiam regionibus multum utilitatis afferre possunt.

De visitatione Parochiarum, oder von jährlichen Visitationen und was hier durch für Mängel und Gebrechen fast an allen Orten mögen gefunden werden, und wie diese zu verbessern, geschrieben zur Beförderung einer disciplin, zu Eisleben Anno 1555.

Von Christlichen, nöthigen und nützlichen Consistorien oder Geistlichen Gerichten, darinnen zu ersehen, was für Händel in die Consistoria gehören und billig darinnen sollen gehandelt werden, geschrieben zu Eisleben anno 1555.

Ein Büchlein von Bann und andern Kirchen, Straffen, aus Gottes Wort, Apostol, Lehr und Thaten, aus der Väter Bucher und unserer fürnehmsten Theologorum Schriften zusammen getragen wieder die so die Kirchen Disciplin verhindern, Eisleben Anno 1555.

Form und weise einer Christl. Ordination. NB. Hi & alii Tractatus ad disciplinam Ecclesiasticam spectantes postmodum conjunctim etiam prodi- erunt, in fol.

Decreta Synodalia de Annis 1554. 1557. 1559. a Sacercio.

Bekanntnis derer Prediger in der Graffschafft Mansfeld. Anno 1559.

S. IX. Exinde satis conspicimus, qualis quantusque fuerit noster Sacerdus, quippe qui forsitan plura scripsit, quam alii legerunt. Nos quoque pluribus laudes ejus jam non prosequemur, allaturi tantum quedam elogia, quibus ab Eruditissimo passim ornatus fuit. Primum est Albini, *Chronographi Misnensis*, quod ab alio quodam Viro docto rotutatum adducit, ac ita sese habet: *Lucebat in hoc Viro commemorabilis gravitas & constantia, non minas, non exilia, non ullam ultius hominis potentiam aut vim pertimesebat.* Pene dixerim, solum faciliter de cursu suo dimoveri potuisse, quam Erasmus à veritatis professione. *Vitam agebat castè & integre, oderat luxum, tempesstivè de convivio domum redibat, amabat simplicitatem, execrabatur Sobisticam, & laborum erat tolerantissimus. Ecclesiastis viginti quatuor Comitatum constituerunt & juxta reformatam religiō nem ordinaverat Concionator erat disertus, copiosus & gravis, vere aculeos in animis auditorum relinquent. Alterum est Lauterbachii Poeta non inceles tris, qui ipsum sequenti carmine eleganter describit:*

Qui geris à Sancto, SARCIERI, nomen amore,

Non equidem frustra nomen ERASMUS habes.

Colligimus bonos artes, vitaque decorum,

Radices ut agant spe meliore suas.

Das

Das operam sancto mentem perculsus amore,

Dum calamo, viva dum sacra voce colis.

Ingenii calamo, que non monumenta relinquis?

Ut sarta, ut maneat gloria teſta Dei.

Quae non ſuggeſtu facundus ab ore Pericles,

Quae decet ut faciat, munia quisque docet?

Alius in effigiem ejus hoc posuit elogium, non indignum quod & hos
loco adducatur:

Sunt hac ora, gene, facies & peclus ERASMI

SARCERII: Hec potuit pingere docta manu.

Verum nemo potest, que ſit constantia menis

Pingere: quin hoc non eſſet Apellus opus.

Impia qui nunquam deliramenta fecutus,

Sincero fidei dogmate pafcit oves.

Quas non continuas fraudesque minasque potentum

Sufſinuit, forti peſtore dura ferens.

Nefſorū eloquio ſimilis facundia lingue,

Illiſ tanta cum gravitate fluit.

Ut merito ſibi quem ſtudis queſivis honorem

Ingenuo & celebris fama per aſtra volet.

Fortiter & tulerit, quem tam mala multa ferendo:

Exiliſ fuerit pena timenda licet.

Mattheus Bebemus, ipſemet Annabergensis, ita de eo cecinīt:

SARCERII quis non virtutem novit ERASMI

Qui te constanti peclore, Chriſte, ſonat.

Magna ſua fidei qui vir monumenta reliquit,

Que non ſunt veru commemoranda meo.

Egregium cujus Scriptorum corpus habetur,

A cuncta dignum posteritate legi.

Hoc opus eximium laudabit rite Magiftrum,

Inde Viri mentem cernere quisque potest.

§. X. Sarcerium excipit M. PAULUS JENISIUS, Vir preſtantiffi-
mus ac eruditissimus, qui itidem ex pulvere ſcholaſtico ad ſubēundos la-
bores eccleſiaſticos tranſiit, atque imprimis de patria ſi quis aliud optimè
meruit. Ejus enim eſt ſæpius laudatum *Chronicon Annabergense*, in quo
non ſolum patriam accuratiſſime deſcriptam exhibuit, verum etiam res
memorabiles à primordiis ejus ad prium uſque incendium ibi geſtas ab
obli-

oblivione strenuè vindicavit. Quod opus laudatissimum uti ad gloriam patriæ tuendam spectat, ita optandum foret, ut aliquis continuationem ejus ad nostra tempora tentaret.

§. XI. Dum vero Jenifum paulo penitus cognoscendum repræsentamus, monendum probe est, dari adhuc alium M. Paulum Jenifum, natum Augustæ Vindelicorum, Pastorem primum Hannoviensem, deinde Rudelhemensem, ac demum in patria sua Archi Diaconum, qui varia scripta quoque publicavit ac anno 1648. ætatis 46. obiit, uti Henning. Witte in Diario suo Biogr. P. II. observavit. Noster autem Jenifus hunc Augustanum multis annis antecedit, & lucem primo adspexit anno 1551. quod ex Annalibus Manuscriptis scholæ Annæmontane patet. Parentes, quibus natus, indicavit ipse in suo Chronicô, Patrem scilicet ejusdem cum eo nominis, civem honestum, mortuum anno 1570. ætatis 50. & matrem Margaretham, fœminam piam, honestam inque pauperes beneficam, Illeburgi apud filium suum, ad quem se quinquennio ante Annæbergæ contulerat, extremâ senectâ Anno 1601. d. 23. Sept. mortuam. A pueris liberalium Artium & virtutis sapientiaeque studiis animum probe excusat, & in iis singulari diligentia adeo proficit, ut Wittebergæ anno 1576. Decano Salomone Alberto, artis Medicæ Doctore, summum in Philosophia honorem consequi potuerit. Postea etiam studio Theologico diligenter incubuit, & sacrarum literarum scientiam haud vulgarem sibi comparavit.

§. XII. Hanc præclaram ejus eruditonem ubi Senatus patriæ Amplissimus cognoverat, eum ad se vocavit, & ad obeundum munus Correctoris destinavit. Cui cum in annum quintum præfuisse, ad scholæ gubernationem, anno 1581. decadente ad Ecclesiæ ministerium M. Wolff. Stolbergio, summa omnium voluntate ascendit, inque hoc officio labefacto administrando graviter prudenterque ad annum XIII. versatus est. Nam per idem tempus, quo ex inclito Bohemiæ Regno aliisque provinciis haud pauci confluabant, ipse incrementa scholæ non parum promovit, & occasionem tam commodam tamque oprabilem de literata juventute bene merendi haud quaquam è manibus dimittendam censuit. Ac proinde cum Collegi sui ira rem imposterum tractandam constituit, ut præter consuetu yuvidetur, quæ cum scholis præcipuis communia erant, alia quædam extra ordinem subcivis horis, quibus discentium animi à studi contentione recreandi erant, proponerent. Quoniam vero inter illos non deerant juvenes discendi cupidi, quique de urbium metallicarum

rum initii, progressu atque incrementis tempore exiguo factis subinde percontabantur, ipse, ut desiderio illorum satisfaceret, patriæ historiam tradidit, & multa quoque inter dictandum partim è scriptura S. de prompta partim philologica admisit. Quod sane studium adeo ipsis non displicuit, ut multum potius adjutos se fuisse prædicarent. Et hac occasione excrevit tandem Chronicon ejus Annæbergense, quemadmodum ipse in *Prefatione illius* testatur.

§ XIII. Postquam itaque per septendecim fere annos in schola patria docuerat, pulveris scholastici tandem pertæsus provinciam suam ultro depositus anno 1593. d. 29. Martii. Ineunte vero anno 1594. d. 4. Jan. cum pridie ejusdem diei in Senatu, posteaque in schola publice valedixisset, munere suo abiit, veniens Eilam, qui pagus est Bornensis Dioceesis, à Nobili Viro Christophero à Kitzscher in Zöpen, Ecclesiæ illius Pastor constitutus, Evangelium Christi annum unum & menses novem docuit. Inde evocatus anno 1596. M. Martio Illeburgum,* ibique Pastoris & Superintendentis munere aliquamdiu cum laude defunctus, o'kennio post anno sc. 1603. M. Nov. venit Dresdnam in Aulam Serenissimi Principis, Electoris Christiani II. ibique Concionatori Aulico primario in Concionibus habendis adjunctus ac Consistorio Assessor datum fuit. Qua vero fide, diligentia ac dexteritate munia hæc ecclesiastica sibi demandata obierit, id satis cognosci potest ex Concionibus ejus variis aliisque ab eo publicatis scriptis, que ex Wittenbohne hoc transferre licet: *Conciones decem de Educatione Liberorum: Conciones octo de Angelis: Due de Incendiis: Una de Messe: Quatuor de Nativitate Christi: V. de novo Anno: XI. de Resurrectione Christi: X. de Effusione Spiritus S. III. in Psal. LXXXVII. Conciones nupliales, funebres plurime: Thesaurus animæ pie vivendi ac moriendi. De quatuor Novissimis. Orationes IV. de illustrium quarundam personarum vita & factis &c. Scriptum Consolatorium ad afflictos, cum abdortatione ad constantiam: Conciones due de insolito pecorum interitu. Conciones de moribis corporis & termino vita humanae. Conciones ex Luc. XVI. 2. redde rationem &c. Informations quinque diem extremum considerandi. Denique Historia Annæberge in duos Libros digesta.*

* Jenissius ipse in Chron. P. II. p. 39. ad annum 1576. tanquam memorabile quidpiam observat, tres quoque suos in Rectoratu Antecessores, Wolfgangum Hiltenum, Albertum Lytichiun & Wolff. Stolbergum ad Pastorum & Superintendentum munia gerenda, non interrupta serie secum fuile adhibitos, Hiltenum quidem Cygnez, Littichium & Stolbergum Annæberge ac seipsum denique Eilenburgiad Muldam.

§ XIV. Senio denique confectus & curis arque laboribus defatigatus, emigravit ex hac vita ad beatissimam vitæ æternæ requiem anno 1612.

d. 12.

d. 12. Nov. ætatis 61. relictis duobus filiis Johanne & Paulo, Annæbergæ prognatos, quos literarum Cultores per industrios fuisse, ex quibusdam Carminibus & Græcis & Latinis, non infelici sane Minerva ab iis compo-sitis, apparet. Præterea verò nulla de ipsis vestigia deprehendimus.

§ XV. Huic adjungimus *civitatem* M. GEORGIUM NUCELI-
UM, *Virum admodum doctum & pium*, qui Ecclesiæ Christi passim ope-
ram fidelem præstítit, & patriæ quoque magnopere se commendavit.
Quem vero annum vel primum vel ultimum habuerit, non possumus de-
terminare, siquidem nec in annalibus patriæ nec aliis in scriptis quicquam
ea de re annotatum legimus. Naturam autem ipsi ad pangenda carmina
ingenium non ineptum tribuisse, (a) apparet ex *Chronicis schole patriæ* ubi
nomen ejus numero clarorum Civium adscriptum deprehendimus. Qui-
bus præterea studiis animum suum excoluerit, optime colligi poterit ex
Concionibus ejus, quas de aureo vellere Filiorum Dei, cum in patria doceret,
habuit. Illæ vero non solum ejus in Theologia & Philologia præcla-
ram cognitionem arguunt, sed insuper etiam eum in lectione Patrum, im-
primis Augustini, Historicorum & Poetarum perindustrium fuisse satis de-
clarant. Plura eruditio[n]is ipsius vestigia haec tenus non deprehendimus.
Itaque paucis tantummodo adhuc indicabimus, quibus Ecclesiæ Evange-
lium Christi tradiderit. Docuit autem circa annum 1590. primum in
 pago *Unterfall* Dœcessis Neoburgensis, quemadmodum testatur in *Præ-
fatione suarum Concionum*, quas Serenissima Domina Annæ Marie, ex
domo florentissima Neoburgica prognata, & Serenissimo Principi Fride-
rico Guilielmo, Duci Saxonie & Administratori Electoratus Saxopici, in
matrimonium elocata, ad declarandam animi gratitudinem inscripsit.
Postmodum anno 1593. inde evocatus venit in patriam, ubi non solum
Archidiaconatum ad D. Annæ, verum etiam Pastoratum ad D. Marie e-
ximia cum laude administravit. Denique anno 1604. voluntate divinâ sic
decernente abiit Schlockowaldam in Bohemiam, & Pastoratus munere ibi
defunctus est, quod non solum ex epistola quadam de urbis incendio ad
Jenissium perscriptâ, verum etiam ex *Concio[n]e quadam* (c) in *Electiōnem*
*Mattie I. in Romanorum Imperatorem Schlockowaldæ habita & postmo-
dum publicata*, luculenter constat. Num vero isto quoque in loco diem
supremum obierit, certis documentis haec tenus destituti, affirmare satis non
possumus.

E

geist

(a) *Chronicon M[odestum] scholæ patriæ ita de eo tradit. M. G. Nucelius carmen scribit felici Mi-
nervâ.*

(b) *Conciones ejus hunc titulum Germanicum præferunt: Das guldne Glüß von der edlen und*

geistlichen Ritter und wahren Christen / so das wahre Lämmlein Gottes Jesum Christum in Herzen tragen / Kenzicken / Gebähr / Feinde / Aufrührthal / Käsel / Ehrenkied / Privilegien und reichen Beute: Geistlicher Bericht in seßlichen Predigten aus schönen und lieblichen Lerten der S. Schrift gethan auff St. Annenberg / durch M. Georg Nucelium, Diener am Worte Gottes dafelbst / Leipzig anno 1597.

(c) Titulus Coneionis hic est: Gratulations Predigt nach beiehener Wahl und Krönung des Allerdurchl. Herrn Matthiae I. Römischen Kaiserre. Auf Anordnung und Befehl der Chirch: Ob. istet aliter in der Nähe: I. freien Burstadt Schlaekewald aus den 20. Psalm gethan durch M. Georg. Nucelius Pfarrherrn duselbst. Carmen huic Concionis apposuit Laurentius Nucelius. Filius, LL. Studiosus.

¶. XVI. Jenissium & Nucelium etate ante edit, qui ex schola ad Ecclesiam transit, ADAMUS HERMANN, vir eruditus deg: Schola & Ecclesia patria bene meritus. Is enim postquam prius scholam Friburgensem in Thuringia rexerat, anno 1566, in patriam redit, ubi non solum in schola tres annos cum laude juventutem instituit, verum etiam exinde ad Ecclesiam Diaconatum vocatus muneri sibi demandato novem annos egregie satisfecit. Anno 1578. abit Coldicum ad Pastoris & Superintendentis manus obendum, cui etiam cum cura & fideliitate summa praefuit. Ad aequales dignitates electi sunt M. BALTHASAR KLEIN Pastor & Superintendent Martisburgensis, M. TOB. BEUTHER, Pastor & Superint. Torgavensis, qui primum Lebenwerda gubernaculis scholae admotus, postea Diaconi ac tandem Superintendentis manus ibidem gesit. Inde evocatus anno 1588. venit in Aulam illustrem, ac denique Ecclesia Torgavensis curam atque inspectionem gesit. Carmen scriptum in nuptias Schellenbergii, Annabergensis, quod in ejus Nuptialium Lib. I. conspicitur. His addi meretur M. WOLFGANG SEIDELIUS, Pastor & Superintendentis muneri in urbe Lichtenstein admotus, & AUGUSTINUS BRUNNIUS, Minister verbi divini Wurtenbergicus, uti M. Job. Wolfgang Rentzsch in scimus Brandenburgischen Cedernhāp. p. 23. de ipso testatur: Inclaruit imprimis libellis quibusdam Historicis ideoque infra Sect. IV. commodius a nobis adduci poterit.

¶. XVII. Hos sequitur, qui vel secundo loco commemorandus fuisse Theologus præstansissimus & Clarissimus D. JOH. SCHREITERIUS, Episcopatus Misneris Superintendentis, Consistorii illius Afferor, Ecclesia Collegiate & Prepositus & Wurzene Pastor. Originem trahit ex antiqua & celeberrima Schreitorum familia, quæ hodienum adhuc imprimis in Filio, Sene, nunc Venerando Magistri D. Christophoro Danielo Schreitero, Wurzene, qui B. suu Un. Parentis vestigia strenue securus in dignitatibus fucce sit; & Nepote, Excell. Dn. Christophoro S. bretero, J. II. D. & Academia hujus Syndico, Patronis nostris Colendissimis maximopere floret. Ita

Schrei-

Schreiteri à primâ patriæ fundatione notissimi ex Dania & Norvegia propter bellorum vehementes tumultus cō se receperunt, inque rebus metallicis se Vicos peritissimos atque exercitissimos primum p̄fessit̄runt, quemadmodum hoc in *Chronico patriæ M̄sto* annotatum legimus. Noster verò *Johannes Schreiterus* natus anno 1578. d. 20. Octobr. Patrem habuit *Laurentium Schreiterum, Prætorem Patriæ meritissimum*, & Matrem *Margaretham, M. Phil. Wagneri, Pastoris & Sup. in patria filiam*, à quibus ab inq̄nto ætate ad pietatem & virtutes alias gnaviter ductus, & inspectioni privatorum quoque Præceptorum primum traditus fuit. Deinde miserunt etiam in scholam patriæ florentissimam ac bonis literis eudiendum commiserunt *Rectotibus fidelicissimis* atque dexterrimis *M. Paullo Jeniso* atque *M. Job. Friderici*, Professori postmodum Lipsiensi, qui singulari plane amore eum sunt prosecuti, ejusque industriam in humanioribus, ac Gracis imprimis, ad quas à naturā quasi insitam quandam voluptatem in se sentiebat, ad cō adjuverunt, ut anno ætatis decimo octavo in Academiā Lipsiensi ad altiora studia progredi potuerit. Eō delatus scholas Philosophicas Dnn. Professorum ac imprimis *Job. Neldeliū* Philosophi suo tempore celeberrimi, diligenter visitavit, annoque 1601. ad summum in Philosophiā gradum aspiravit. Postmodum ipse scholas Philosophicas aperuit inque Organon Aristotelis lectiones privatas easque iteratas habuit. Cum studio Philosophico maritavit etiam Theologicum, quod deinceps in Academiā Wittenbergensi sub celeberrimis Theologis *D. Hunnio, Rungio, Gesnero & Huttero* maximā industriā continuavit. Ad utrumque igitur paratus & Schola pariter atque Ecclesiæ aptatus primum venit in *Vallēm Joachimicam*, cuius schola gubernacula postquam annos quatuor cum laude gesserat, ad Diaconatum in patriam, & post aliquot annos ad Ecclesiam Cadensem in Bohemiam vocatus fuit. Anno denum 1616. inspectionem Canonicatus Misnensis & Pastoratum Wurzensem fidei suæ concretum adiit & ad finem vitæ suæ cum cura & fidelitate summa totos viginti duos annos administravit. Interea cum occasionem in Theologia ascendendi sibi datum videret, præmissis consuetis lectionibus de *Harmonia Evangelistarum*, & Disputatione de *Divinitate Christi contra Neo-Photinianos*, anno Jubilæo 1617. summos in Theologia honores & Doctoris titulum assunxit, nec multo post pro Loco in Facultate hac consequendo Disputationem aliam de *Conjugio Ministrorum verbi* habuit. Anno 1633. decedente *D. Polycarpo Lyfero*, Superintendente Lipsi. & Præposito Ecclesiæ Cathedralis Wurzenfis, ejus in locum sufficitus

Etus atque Praepositus Ecclesiæ dictæ simul constitutus est. Cumque schola & Ecclesiæ triginta quatuor annos fidelissimè inserviisset, depositus hanc mortalitatem ac ad immortalem illam atque beatam vitam emigravit anno 1638. ætatis 60. Scripta ab eo publicata Wittenius in Diario suo Biographic P. I. commemorat, quæ ex eo in gratiam Patriæ hoc transferre licet: Pentadecas citbare Davidica, vel XV. Psalmi graduum Latino commentator illustrati: Oratio Parentalis in obitum M. Pauli Jenisi. Conciones de rebus metallicis in quatuor partes distribute: Decas Mnemonevitica: Vocatio Pauli in Macedonia s. Concio valedictoria. Ministerium pacis s. Concio inauguralis. De persecutionibus libellus. Conciones Iubilee, funebres, nuptiales &c. Concio inauguralia alia Cathedrae Ecclesiasticae Wurzenensis, in qua de fundatione & continuatione Presulatus Misnensis & annexi Wurzenensis, aliasque Episcopatibus & Canonicatibus agitur, habita anno 1624. ex Ev. Dom. I Adv. Reliquit etiam alia haec tenus nondum publicata scripta, qualia sunt: Cherubim & Sempibim, Harmonia videlicet V. & N. T. It. Mons igni ardens, occasione à secundo patri incendio oblata: Tractatus de Episcopatibus, Canonicatibus & bonis Ecclesiasticis: quæ vero per varias hostiun irruptiones distracta plurimaque ex parte derperita fuerunt.

§ XVIII. Clarissimo huic patriæ Theologo subjungimus Filium doctissimum, qui ipsi Annabergæ cum doceret ibidem natus est, M. GOTHO-FREDUM SCHREITERUM, Pastorem Mügelensem, Virum certe multifaria eruditione instructum, quique suo tempore si fata non mature abstulissent, Parentem & virtutibus & dignitatibus referre potuisset. Namque rerum humanarum & divinarum scientiam egregiam sibi acquisiverat atque in disperando admodum se exercuerat. Primum anno 1628. sub praefidio M. Hieron. Rockleben, Dial. Prof. Publ. Disp. XV. de materia remota demonstrationis in specie ex Lib. I & II. posteriorum Analyticorum, & anno 1632. tanquam Magisterii Candidatus alteram de Intelligentiis habuit. Deinde etiam tanquam Praeses unam de Scientia, Effectu Demonstrationis nobilissimo anno 1630. & alteram de voluntatis humanae libertate anno 1634. in hac alma Philurea exhibuit. In Academia Jenensi audivit postmodum Theologum celebrissimum D. Job. Gerhardum ejusque sub praefidio duas Theologicas, unam de Angelis, quæ Ifagogicarum est XII. & alteram de Officio Christi triplici, ejusdemque distinctis statibus, anno 1635. Ante VV endocrinianarum VII. stitit. In Ministerio cum viveret edidit Concionem funebrem anno 1648. & sermonem quendam nupialem anno 1646. nec dubium est, quin si Deus vitam longiorem ipsi concessisset, ipse plura scripta in

in publicum datus & splendidiora munera Ecclesiastica ornatus fuisset. Namque in Ministerio paucos admodum annos vixerat, & ecce Deus præter omnem fere spem eum ex hac militante in triumphantem ad se vocat.

§. XIX. Schreiteris subjungendus est Vir admodum celebris MICHAEL WENDLERUS, SS. Theol. Doctor & Prof. Publ. Extraordinarius, ac Morallum Ordinarius in Academia Wittebergenſi. Floruit ibi circa annum sexagesimum superioris ſeculi, & à Feller quoque, l.c. Claris Annæbergensibus annumeratur. Publicavit Erbican & Politican varia que Diſputationes Philosophicas aliasque. Addimus ipſi statim alium Civem, qui ſub finem ſuperioris ſeculi in Ecclesia Wittebergenſi exſplenduit, M. GEORGUM SCHIMMERUM, Ecclesiasten ad D. Marie bene meritum, qui natus anno 1652. ac anno 1695. mortuus est. Innotuit ille Orbi literario præclaris aliquot eruditionis Theologicæ monumentis ex quibus ea qua hactenus conſpeximus breviter adducemus. Notissimus autem eſt ejus Liber Juſorum, i.e. Gründliche Auflegung der anmuthigten Geschicht von der Dioabitin Ruth, nebst einem Anhang 10. auferleſener Hochzeit Sermonen, Erfurt und Leipzig anno 1693.

Eiusdem Geſiliche Erquick Stunden und Kirchen Andacht über den Trost und Schriftreichen Gesang: Wer nur den lieben Gott läſt wälten ic. quartum impressus Erfurti & Witteberge anno 1697.

Eiusdem Bekümmertes und durch die Erbſtungen Gottes ergötztes Zion nach Anleitung des Liedes: Zion Klagt miß Angſt ic. anno 1696.

Eiusdem Jesus Lust über das Lied: Jesu meine Freude ic.

§. XX. Nec silentio prætereundus eſt, Senex post fata quoque colendus, Vir pientissimus atque eruditissimus CHRISTIANUS LEHMANNU斯, Pastor Scheibenberge optime meritus. Natus eſt in pago Annæberge vicino atque ſub jurisdictionem Senatus patriæ Amplissimi ſpectante, Regisſylve anno 1611. quemadmodum ipſe hoc Chronodisticho indicavit:

EXIgVo VICO VIlaLes naſCor In aVras,

HvnC RegIs ſyLVaM TeVtona LIngVa VoCat.

Meretur ipſe vel ideo hic commemorari, quod in rebus historicis alisq; ad tractum imprimis montanum ſpectantibus fuerit versatissimus, omnique tempus, quod ab officio laborioso ſupererat, illarum meditationi ac collectioni impenderit. Specimen hujus laboris egregium Hæredes ejus Clarissimi non ita pridem atbi literario communicarunt, quod vocatur: *Theatrum historicum*, oder *Historischer Schauplatz* de rer natūr-

lichen Merckwürdigkeiten in den Meissnischen Ober-Erz-Gebirgern.
anno 1699. Leipzig. Præterea Vir diligentissimus congesit ac elaboravit
quoque Res memorabiles Ecclesiasticas, Civiles, Morales, Bellicas, me-
tallicas aliasque, singulas peculiaribus Tomis, de quibus optandum foret,
ut procurante Filio ipsius celeberrimo, summe Reverendo Dn. D. Christi-
ano Lebmanno, Pastore ac Superint. quondam Annebergensi, hodie Frei-
bergensi meritissimo, Patrono nostro filiali amore & obsequio ætatem deve-
nerando, lucem publicam statim aspicerent. Vita finem quod attinet, se-
cit illum noster anno 1688. d. 11. Dec. ætatis 77.

¶. XXI. Tandem memorandus laudandusque venit, qui inter ornamen-
ta patriæ maxima hodie exspendit, & encomiis nostris longe superior
est, summe Rev. Dn. D. JOH. AUGUSTIUS STEMPLEIUS, Ecclesiarum
in Ducatu Coburgensi Superintendentis Generalis, Gymnasii Professor atque
Inspector immortaliter meritus. Optimum arque laudatissimum hunc pa-
triæ Civem vel ideo hie plane præterire noluimus, quod non solum in
senectute jam constitutus metam honorum & meritorum suorum attigisse
cenendum est, verum etiam scriptis quibusdam Theologicis in republica
literaria inclaruit. Ejus etenim mentionem quoque fecit Kenigius in sa-
pius citata Bibliotheca sua p. 775. ubi ipsius Vindicias pro Fasiculo Contro-
versiarum Heinrici Eckardi anno 1672. elaboratas memorat. Nos adducimus
quoque duas Disputationes inaugurales Theologicas in hac Academia ab
eo habitas, quarum unam de Benevolentia Dei universali ad Rom. II. 4. pro
Licentia anno 1671. & alteram de Sabbatho Christianorum in Actu Pro
motionis Doctoralis anno 1674. proposuit. Quibus subjicienda est & illa,
quam Anno 1665. in Academia Jenensi de salute Esavi sub praesidio Chri-
stiani Chemnitii, SS. Theol. D. & PP. exhibuit. Plura sine dubio scripta
publicavit, quia vero haecenus nobis non innotuerunt, illa cum vita ipsi-
us gestis ac meritis in Ecclesiam Christi alii post nos commemoranda re-
linquimus. Interim Venerando Seni ex animo precamur, velit Deus
senectutem vegetam atque tranquillam ipsi largiri, inque Ecclesiaz sue com-
modum patriæque ornamentum maximum diu adhuc salvum atque suspi-
tem præstare.

¶. XXII. Atque hi sunt præcipui, qui in hac Theologorum classe pro-
duci ac ab obliuione vindicari debuerunt. Addere possemus plures ali-
os, qui vel intra vel extra Annæbergam Ecclesiastico munere defuncti
oves sibi concreditas hinc inde in oppidis & pagis verbi divini pabulo fide-
liter recrearunt & adhuc recreant, quales fuerunt M. HENR. BAYER, M.
Mi.

MICHAEL STEMPPEL, M. CHRISTOPH. WOLFF, M. JOH. HEINR.
JOBIN, Archidiaconi in patria omnes vñ b̄v. c̄ylos, alioq; Quoniam vero
vel in Chronico Jenisi vel Manuscripto patriæ pasim sunt annotati, atque ex-
igua pagella huic Dissertationi destinatae numerum illorum non capiunt,
hoc loco iterum adducere volentes supersedemus.

SECTIO II.

DE

JURE CONSULTIS atque POLITICIS.

§. I. Claros patriæ Theologos merito nunc excipiunt illi, qui legum & rerum civilium scientiâ inclaverunt, & patriæ splendorem magnopere etiam auxerunt. Dum vero illos in medium jam producere & ab oblivione vindicare animus est, non possumus non in antecellum monere, nos pauca deprehendisse monumenta, quæ ad famam ipsorum amplificandam & illustrandam faciunt. Cum enim Majores in his aliisque ejusmodi rebus annotandis non admodum fuerint curiosi atque solliciti, multa certe notata alias non indigna prætervecti posteritatem limis quasi & invidis oculis adspexerunt. Quare in exponentibus illorum vita gestis prolixia non erimus, pauci saltem persecuturi ea, quæ ad renovandam illorum memoriā pertinent.

§. II. Loco vero principe nunc exhibemus è Jure consultorum ordine MICHAELEM JÄGERUM, J.U. Doctorem suo tempore non incelebrem, qui Syndicatu Freibergæ functus, meritis suis patriæ multum etiam gloriæ attulit, ceu testatur de ipso *Mattheus Bebm in descriptione Annabergæ*, ubi inter alios claros Annæmontanos cum quoque adducit, ita de eodem canens:

Juridica Doctor Venator in arte probatus

Natali magnum lumen in Urbe fuit.

Nunc sapiens celebris Freibergæ Syndicus urbis

Vix haber eximio laudis honore parem.

Exinde colligimus, eum floruisse circa medium seculi XVI, adeoque non diu post primordia urbis exstruetæ, quo tempore Annaberga ferax veluti Musarum mater exiit, & tot eruditos clarosque viros numerare potuit, quot postea vix progenuit. Qui vero annus primus aut ultimus ipsi fuerit, quibusque gradibus ad illum honorem ascenderit, hactenus sed lo inquietus cognoscere non potuimus. Neque etiam *Ienissius noster*, qui in *Capite de claria viris ejus mentionem fecit*, quicquam de eo annotavit.

§. III.

§. III. Pergimus itaque ad alios & Jägero subjicimus LAURENTIUM LEHMANNUM, Petri Lebmanni, Senioris, Senatoris Annebergensis filium, itidem Legum Doctorem. Floruit Viennæ Austriz, ubi i causis civilibus aliquamdiu feliciter patrocinatus tandem mortuus est, quemadmodum ex Chronico scbole patriæ MSto constat. Fratrem habuit non minus laudandum, PETRUM LEHMANNUM, Vitum pietate, literis & juris cognitione præstantem, prout jam laudatum Chronicon etiam annotavit. In Academia cum studia sua probe excoluisset, summam Philosophiæ lauream decerpit, ac postmodum in Patriam redux. anno 1575. in Senatum cooptatus, præturam & consulatum gessit, tandemque anno 1586. Syndicus civitatis creatus fuit.

§. IV. Post hos commemorandus quoque est D. JOH. UNWIRTH, Vir consultissimus, quem genitum putamus Patre ejusdem nominis, decimarum metallicarum praefecto, qui anno 1578. Annæbergæ mortuus in Templo Annae sepultus fuit, ubi tabula marmorea in ipsius memoriam erecta conspicitur, idem referente Jeniso in Chron. P. II. ad annum 1578. p. 40. b. Ipse ad literas quasi natus postquam non superficiariam quandam eruditionem legumque scientiam accuratam sibi acquisiverat, ad peregrinas quoque terras visitandas profectus in Italiam pervenit Valentiam, quæ ipsum supremo Themidis axiomate, hoc est, Doctoris titulo exornari dignum habuit. Reversus in patriam Juris Practicum hinc inde egit famigerabilem, cumque vix sedem Chemnitii fixisset, nimis præmatura morte anno ætatis trigesimo secundo nondum completo abreptus est. Epitaphium postmortem ipsi scriptum exhibet Jeniso noster I. c. sequentibus:

JOHANNES hac UNWERDUS sub mole quiescit

Spes Patriæ & generis gloria summa fuit.

Quem mons Annatus genuit, Valentia fecit

Doctorem, letho Chemnitiumque dedit.

Luceque nunc cassum Lipsiensis Curialuget

Quippe patrocinio præstis orba boni &c.

§. V. Jam laudatis Viris merito subjiciendus est D. IOHANNES SVEVUS, sive SCHWABE, natus anno 1564. qui sive prudentiam & gravitatem morum sive etiam eruditionem ejus spectemus, primo loco fuisse commemorandus. Imprimis vero excelluit in Juris cognitione, quæ in eo adeo accurata & solida fuit, ut etiam aliis non sine fructu juris adita aperire legesque interpretari potuerit. Quare cum statim sub initium seculi præterlapsi XVII. Magisterii titulum reportasset, in

Aca-

Academia Salana deinde etiam Doctor Juris creatus, ejusque Professor Publ. constitutus fuit. Postmodum quoque adscitus in Consiliarium Saxonum & Curia Provinciali Jenae florenti Assessor datus est. Quod si vero Henningio VVittenio credendum est, primum fuit Prof. Jenensis, inde Consiliarius Aulicus & Consistorii Ecclesiastici quod Altenburgi floret Praeses, tandemque rursus ad Professionem Jenensem aliaque gerenda officia emigravit. At nobis persuadere non possumus, eum si Altenburgum ad illas ornandas dignitates semel abiisse, inde Jenam redditurum fuisse ad capessenda munia antea deposita, praesertim cum alibi nequicquam de hac mutatione annotatum legamus. Quin etiam M. Adrianus Beiorus Ecclesiae Jenensis Archi Diaconus in Syllabo Professorum Jenensium cum floruisse observar inter Professores Jenenses ab anno 1605. ad annum 1634. adeoque viginti novem annos, quod profecto dicere vix potuisse, si currente hoc tempore Alienburgi etiam aliquamdiu munera haec obiisset. Mortuus est Jenae anno 1634. d. 13. Dec. etatis LXX. quemadmodum Chronicorum patriæ MStum ita annotavit: D. Job. Schwab/ Annaberg. J. U. D. und Professor. Fürstl. Sächs. Rath/ Hoffgerichts, und Schäppenstuhls zu Jenae Assessor, ist gestorben / anno etatis 70. d. 13. Dec. anno 1634. Scriptis libros tres de Jure accrescendi: Disputationes de usu capionibus; de actionibus in rem, de concursu creditorum eorumque probatione; de jure molarum: de Novalibus, de Advocacione causarum: de successionibus ab intestato &c. Conspicitur etiam in Chronicis Jenisiis aliqua ab eo scripta threnodia in Annabergæ desflagrationem, cum hac subscriptione M. Job. Sverus, Annemontanus, Juris Licentiatus.

§. VI. Hunc excipiat CHRISTOPHORUS am Steig / Juris Practicus suo tempore clarissimus & felicissimus, ac Syndicus in patria egregie meritus. Natus ipse est anno 1581. d. 13. Nov. Patre Hieronymo am Steig / Consule patriæ meritissimo. Primis literarum fundamentis in scholâ patriâ positis Lipsiam venit in Scholam Thomanam, ubi sub fidei institutione Civis sui M. Bardensteinii, Rectoris, admodum profecir. Postmodum in Academiâ studium Juris cum aliis attibus ac scientiis tentavit, inque Wittebergensi per duos annos continuavit. Inde reversus Lipsiam ad Juris praxin animum applicuit, causisque civilibus sex annos feliciter patrocinatus est. Quam ejus eruditioem ac prudentiam cum patria cognovisset, anno 1618. ad Syndicatum vocavit annoque sequenti 1619. in Senatum adscivit. Verum non ultra novem annos huic muneri praefuit, sed prematurâ ac improvisâ morte abruptus, vitâ excessit

Cum enim aliquando Parens ipius eum mitteret Lipsiam, ut ibi causam quandam suo loco ageret, in itinere subito morbo corruptus Hartmannsdorff in pago quodam nemine advertente placidissime exspirat anno 1627. d. 25. Jun. ætatis anno 46. Concionem funebrem in patriâ ipsi habuit M Joh. Crebse, Pastor ac Superintendens, quæ typis quoque publicata extat.

§. VII. Nec silentio obnubilandi sunt illi hoc loco Annæbergen-ses, qui ob civilem quâ claruerunt prudentiam in illustrium Virorum aulas adsciti, ingenii, virtutis, inque delegato munere obeundo dexteritatis specimen haud vulgare præbuerunt. Quales fuerunt in Electoris nostri illustri aula GEORGIUS HERMANN & GREGORIUS Unvirdt, Cameræ præfecti, & qui Marchioni Brandenburgico servit JOHANNES BARTH, arcis Gibichsteinæ præfetus. Sibi ipsi ante mortem, quæ anno 1578. secuta est, tale Epitaphium scriptis :

*Quam vivo baud tribuit spes & fortuna quietem
Corporis atque animi mors miserata dedit.
Corpus in hoc tumulo morbis immune quiescit,
Spiritus ætherea gaudia pacis habet.*

Præterea etiam MARTINUS ZIMMERMANN, Generosorum Comitum à Reinstein & Blanckenburg Cancellarius CHRISTOPHORUS WOLFFIUS, illustrium Ducum Coburgensium Confiliarius extirerunt.

§. IIIX. His addi merentur qui singulare prudentiâ & scientiâ juris prædicti Serenissimis Electoribus nostris quondam à secretis fuerunt. Quos inter primus inclauruit CHRISTIAN KOLREUTER, Juris Civilis studio Lipsiæ primum ac deinde Wittebergæ deditus, demum Illustrissimi Ducis ac Electoris Christiani II. Secretarius, uti Chronicon Scholæ partiae de ipso commemorat. Hunc infuscatus est CONRADUS JEH, iudicem Electoris Sereniss. Joh. Georgii I. minister fidelissimus atque dexterissimus, natus Annæbergæ anno 1578. & Dresdæ demortuus anno 1633. d. 9 Febr. anno ætatis LV. uti Chronicon patriæ MStum Germ. de eo annotavit, his verbis: Herr Conrad Jeh ist d. 9. Febr. 1633. zu Dresden gestorben/ Ihret Churfürstl. Durchl. Geheimr Reichs Secretarius, welchen Ihre Churf. Durchl. das Beugniß geben/ sie hätten einen treuen/ geschickten/ und solchen Diener an Ihn gehabt/ daß sie ihn nicht besser hätten wünschen mögen. Eadem quoque dignitate conspicui fuerunt e Civibus nostris DANIEL KIRCHNER, Dresden demortuus anno 1650. d. 30. Sept. & qui primo loco commemorandus fuisset ANTONIUS WE-

CKIUS

CKIUS, Serenissimi Electoris, Joh. Georgii II. Consiliarius & Secretarius Status intimus atque Archivarivs, cuius merita & virtutes dignis ornare laudibus haud valemus. Namque in inveniendis consiliis & expediendis rebus suis dexteritatem & promptitudinem singularem exhibuit, i. deoque non toluum Serenissimo Electori, verum etiam summis Aulae Dresdenis Collegiis fuit charissimus. Ipse quoque in Secretiora status præcærteris altius penetravit, publicaque Electoralis Aulae monumenta penitus introspexit. Egregium & plane immortale laboris ac prudentiae sua specimen nobis exhibet *Chronicon Dresdensis*, quod mandato, consilio & auxilio Serenissimi ab eo conscriptum magnique haec tenus semper aestimatum fuit. Nec tacendum nobis viderur quod augendæ patriæ imprimis intentus Civium suorum commoda omni, qua poterat, occasione promovere sibi gloriosum duxerit. Meritis hisce aliisque conspicuus diem suum obiit ante viginti annos, Budishinæ honesto sepulcræ ritu condecoratus.

§. IX. Tandem quoque silentio prætereundus non est, Vir de patria quoque haud parum meritus, Nobilissimus THEODORUS WERNERIUS, qui quatuor Serenissimorum Electorum Joh. Georgii II. Joh. Georgii III. Joh. Georg. IV. & qui hodie regna Poloniæ sceptra simul gerit, Serenissimi nostri Regis atque Electoris Friderici Augusti, Nutritii nostri longe Clementissimi, Secretarius in Proto Synedrio Dresdeni fidelissimus extitit. Aspergit hujus mundi lucem Annæbergæ anno 1641. d. 3. Nov. & postquam prima literarum fundamenta in schola patria jecerat, Dresdenam venit ad agnatum suum *Georgium Eysoltum* Consistorii Proto-Notarium, qui filio suo unico privatus hujus in locum illum suscepit, ac ulteriori fidelium Præceptorum, imprimis *Dn. M. Bohemi Rektoris* Dresden. curæ atque informationi tradidit. Horum sub moderamine singulari diligentia in literis ita profecit, ut ad studia altiora pergere potuerit. Quare etiam Agnatus ipius jam laudatus illum anno 1661. ad cursum studiorum suorum absolvendum Lipsiam misit, & postquam annum iis perpoliverat studiis, qua ampliore cura Reipublicæ usibus aptari poterant, anno 1665. Dresden ad se revocavit, ubi multorum Patronorum, imprimis vero Illustris *Dn. Caroli*, Liberi Baronis à Friesen, Præsidis Consistorii Ecclesiastici gratia n singularem consecutus, anno 1676. in Secretarium clementissime assumptus fuit. Quan functionem uti ultra viginti duos annos præclare atque fideliter administravit, ita patriæ quoque multum celebratissimi atulit ejusque commoda pro viribus semper promovere studuit. Obiit autem diem supremum anno 1698. d. 22. Nov. ætatis anno 57.

§. IX. Sed nec alii desunt, *Juris Doctores & Practici* hodie famig-
rabiles, qui partim in patria exsplendescunt deque illa præclare merentar,
partim etiam alibi florent & hinc inde causas civiles felicissime agunt.
Cum vero cursum meritorum suorum nondum absolverint, in eodem
jam turbare nolumus, quin potius futuro *Chronici Annæbergensis Conti-*
nuatori commemorandos & laudandos aliquando relinquimus, appre-
catis ipsis longævam vitam felicissimumque consiliorum suorum & causa-
rum gerendarum successum.

§. X. Caput hoc jam finitinis illud saltem adjicere licet, extitis-
se adhuc plures alios, quorum opera præcipue in rerum metallicarum
curationibus Viri illustrissimi sunt usi, è quibus fuerunt *ZACHARIAS STAUDIUS & PAULUS ROEHLING* altique, & in inclito Bo-
hemie Regno Metallicorum Magister Generalis *LAZARUS ERCKER*,
plurimarum rerum cognitione usuque præstans, posteaque rei nummariae
præfectus Pragæ. Neque etiam defuerunt qui Annæbergæ oriundi rerum
gestarum magnitudine ac bellicis artibus insignem nominis famaque ce-
lebritatem sunt adepti, Sic *WILHELMUS THOMSHIRN* in expugnati-
one urbis Romæ, Caroli V. Imperatoris auspiciis, Borbonio Duce facta
anno 1523. inter eos recensetur, qui rupto aggere ac moenibus primum
conscensis coronâ murali donati fuere. Verum cum proprie hue non
pertineant, & Jenisius quoque in *Chronici sui P.I. cap.XXII. p. 74.* com-
memoret, plura de iisdem proferte supercedemus.

SECTIO III.

DE

M E D I C I S

§. I. Multum profecto gloriæ accessit etiam patria dulcissimæ ex
Viris, quos in Medica arte experientissimos atque excellenterissimos pro-
genuit. Inter quos primum exsplenduit D. *GEORGII STURTII*, Me-
dicinae Professor Erfurtensis, quemadmodum audit apud B. Fellerum in
*Prefatione de Viris Claris aliquot oppidorum locorumque Misniae, Schedia-
finata Historico de Cygnis Quasimodogeniti* præmissa. Natus vero est Buch-
holzii, quod oppidulum Annæberga ad Austrum habet, & vix trecentos
vel quadragesimos passus ab ea situm, adeoque cum patria fore connexum
est. Hoc nos educuit Albinus in Chron. Misna. P. I tit. 25 p. 347 ubi ita ha-
bet: *Georgius Sturtius Odersturciades ut dicit Annenberg in Buchholz geo-
bohen zu s. zeit ein sehr berüffener und gelehrter Medicus Se.* Quod si au-
tem ubique fere usu receptum est, ut, quia locis parvis usque ignobilio-
ribus

ribus oriundi, ab urbe, quam proxime attingunt, se denominare soleant; nobis certe nemo vitio poterit vertere, si Sturtium Annæbergensibus annumeremus, præsertim cum & alios, Barthium scil. atque Jenisium hac in re antecessores habeamus. Parentem ipsius fuisse credimus illum Andream Sturtium, Virum prudentem inque rebus metallicis admodum peritum, qui exinde datus, anno 1509. primum in patria Consulatum gesit, uti hoc tradit Jenisius Chron. P. I. c. XXI. p. 66. A pueris artium & liruginarum studio operam egregiam navavit, inque Academiis postmodum cum illo studium Medicinæ conjunxit ac tandem Medicus clarissimus evasit. Post Italicum iter Medicinam non tantum in Academia Hierana professus est, sed & feliciter exercuit in patria & valle Joachimica, ubi Physicus Provincialis constitutus anno 1526. primum pharmacopolium instituit. Inde evocatus est in Academiam Erfurtensem, ut & docendo hanc artem ibi profiteretur. Qua occasione in notitiam & familiaritatem Virorum clarissimorum pervenit, præcipue vero cum sibi charissimum habuerunt Phil. Melanchthon, Ioachimus Camerarius, Eobanus Hessus & Enricius Cordus, quorum ad ipsum extant epistola. Joach. Camerarius in Elegia quadam metallaria hunc in modum de illo cecinit:

Accipior laute Freibergi, & luce sequente

Occidui montem venimus Anna tuum.

Repperimusque vagi solatia certa laboris

STURTIADEM mira pectora juncta fide.

STURTIADEM, primis qui me complexus ab annis

Irruptam tenuit semper amicitiam.

Cujus ego merita ut faciam omnia, vix tamen unquam

Ex minima potero maxima parte sequi

Is nos complexus, solitus quo semper amore est,

Hospitii antiqui jura benigna dedit.

Ille mihi ostendit que abstrusa in viscere terra

Insanis studiis effodiuntur opes &c.

Mentionem ejus faciunt quoque Kanigius in sua Bibliotheca p. 783. Dresserus ac imprimis D. Barthius in descriptione Annæberge, ubi ita habet:

STURTIADEM, quem etiam paulo memoravimus ante,

Annæberga suum merito in hyda jactat Alumnum

Arte Machaonia, fuit is tibi notus Hera,

Et tibi Arav, Betuque, tibi tibi maxime Tybris,

Et nunc Hesse tuo verso celebratus in orbe

Vivit post cineres etiam post iuvanda fata.

Ex quibus colligere licet, nomen ejus quondam magnopere viguisse cumque exteris quoque regnis ac regionibus inclaruisse. Ceterum quo praeceps tempore vel natus vel mortuus fuerit, hactenus sedulo inquirentibus nondum constitit.

S. II. *Startium excipiat. Civis ille gratus ac amans patriæ, ut ab eruditis vocatur, MICHAEL BARTH Med. Doctor ejusque in hac Philarea Professor quondam non in celebris. Hinc etiam à B. Fellerol. c. Medicus & Philosophus Lipsiensis inscribitur. Ingenium quod natura ipsi concesserat acutissimum, à juventute studiis in politioribus, ac imprimis in Poesi admodum exercuit, inque Philothesia & Medicina, cui in Academia præcipue operam suam consecraverat, ita profecit, ut suo tempore & Poësa & Philosophus & Medicus præstantissimus atque clarissimus salutarius fuerit. Kœnigius in sua Bibliotheca p. 88. observat, eum inclaruisse anno 1570. quo tempore Professionem Medicam in hac Lipsiensi obtinuit Interea quoque sceptra hujus Academiæ duabus vicibus anno sc. 1575. & 1583. gesit, ac anno sequente 1584. vitam cum morte commutavit, conditionem funebrem ipsi habente B. D. Selneccero ad Ps 23. Scripta quædam ab eo publicata Jenifus noster annotavit, ex quo hoc transcribere licet; Liber unus Panegyricon: Symmiction unus. Hodopeiron Saxonicum. Annebergæ Libritres, herlico carmine contexti ac anno 1556. Basileæ editi. Disticha de Patriarchis, Prophetis, Apostolis & Evangelistis, de Ismaelitarum Duciis & Regibus, deque pīs aliquot mulieribus. Hæc carmina ejus legi ait jam citatus Kœnigius, T. I. Delit. German. p. 416. Scriptis etiam Commentarium in Bucolica Virgilii, cuius epistolam Dedicatorium Poëta Lipsiensis clarissimus B. Fellerus l. c. cap. III. de Medicis Cygneis oriundis in causa Jani Cornarii allegat.*

S. II! Barthio non incommodo associatur alias in arte medica Vite excellentissimo D. SIGISMUNDUS KOLREUTHER, idem Professor quondam in hac alma Philarea celebris. Ipse cum imprimis praxi medicâ excelleret, Lipsiæ diu non perstitit, sed quæstus à Viris illustribus in illorum Aulas assūtus est, ut de morborum insultibus avertiendis & sanitati integræ conservanda suo consilio atque auxilio ipsi prospiceret. In Medicum vero intimum adsciverant eum primo illustrissimi Duxes Coburgenses ac deinceps quoque Serenissimi Electores Saxonie Augustus & Christianus, ut adeo exinde pareat, eum floruisse circa annum 1570 & 1580. Publishavit Librum de Arthridite, adductum à Jeniffo l. c.

S. IV. Huic jungendus est HIERONYMUS ODERUS Phil. & Ned. Doctor

Doctor in Alma Leucorea quondam haud minus clarus patriæque decus non infimum, testante hoc non solum Jeniso, verum etiam Matthæo Behemo, in sua Annæberga, qui ita cecinat:

Quam fuit insignis præclare nomine fama,

Gloria qui patriæ gentis ODERUS erat.

Leucorea Medica fuit artis in urbe Professor

Hoc quantum Decus est patria tibi!

§. V. Hos Medicinæ Professores insequantur duo germani fratres, quos non nisi Annæbergæ fuisse oriundos ex Jeniso fatis constat. Alter est D. MARTINUS MYLIUS, quem non Medicum tantum sed & Poëtam felicissimum fuisse, carmina complura ab eo edita loquuntur. Medicinam fecit primum Iglovæ, post Zæmæ in Austria, ubi & mortuus est anno 1574. Hunc nostrum esse illum Martinum Mylium existimamus, quem Fellerus tanquam Horti Philosophici Autorem adducit l. c. Edidit præerea quoque *Librum de Officio Pharmacopæi Witteberge anno 1568.* excusum.

§. VI. Alter Frater est GEORGIUS MYLIUS Phil. & Medicinae Doctor, natus anno 1533. d. 23. April. Ab ineunte æta e animum bonis litteris ac virtutibus excoluit, & sua eruditione varios amicos & patronos sibi conciliavit. Imprimis magnus ille literarum Vindex Phil. Melanchronum ob modestiam & diligentiam suam singulari amore & benevolentia protegutus est, adjuvans ipsius studia omni quo poterat auxilio & consilio. Absolutis studiis humanioribus atque Philosophicis patria cum statim ad se vocavit anno 1555. Correctoris & anno 1559. Rectoris munia obeunda ipsi imposuit, quibus etiam ultra sedecim annos non sine laude præfuit. Quoniam vero ingenium sibi ad excolendum imprimis studium Medicum datum esse intelligebat, munere suo sponte abdicato anno 1571. Witteberg. ad prosequendum illud reversus est, ad anno 1578. d. 22. May. summos in Medicina honores impetravit. Inde salutavit Plaviam Variscorum ubi factavit medicinam. Verum ultra quatuor annos ibi superesse non potuit, quin potius morte præmatura erexit anno 1583. æt. 50.

§. VII. His duobus fratribus addimus aliud nobile par fratum, JO. HANNEM & CHRISTOPHORUM HOMILIUM, qui itidem Medicinae Studium cum Philosophico maritarunt, & in utroque summos honores consecuti sunt. Hic in Carniolæ oppido Laubach, ille vero in Styria, ubi praxin medicam exercuerunt, sunt mortui. Prater jam dictos Annæbergæ quoque egressi sunt *Philosophia & Medicina Doctores ADAMUS*

MUS PLECH, & **MARTINUS OTTO**, quos adducit Jenifius l.c. cap. XXIV. p. 76. Nec non **COLOMANNUS BINER**, Medicine Licentia-
tus, qui diurna animi corporisque ægritudine confectus anno 1592 d.
22. Oct. diem suum obiit. Observat Jenifius P. II. ad annum XCII. f. 46.
Illum primam in Philosophia lauream Lipsiæ adeptum esse ætatis anno
XIV. alterum vero non multo post Wittebergæ. Subjicimus denique etiam
MICHAELM FEIGIUM, Med. Lic. & Physicum Dresdensem, **VALSEN-**
TINUM HAERTFLIUM Med. Litent. & qui recentior est D. **CHRISTOPH ERNST STEMPELIUM** Physicum Patriæ de quibusquum ha-
ctenus nulla documenta deprehendimus, hoc loco illos tantummodo no-
minasse sufficiat.

§. VIII. Tandem quoque Claris patriæ Viris annumerari meretur,
Medicus apud Lipsenses experientissimus juxtam ac felicissimus D. CHRISTIANUS HOELTZELIUS, qui in ipso ætatis virilis & Medicæ praxis
flore decessit. Natus est anno M. DC. LVI. Patremque fortitus Virum
dum viveret, Amplissimum prudentissimumque Christophorum Holtzeliūm,
Decimatum metallarum in patria Praefectum atque Senatorē. Hic
cum in filio suo indolem egregiam animadverteret, literarum studiis eum
dellinavit, & in schola patriæ imprimis, Seni nunc honorando, Dn. *Georgio Platonī*, ConRectori meritissimo atque Praeceptorī quoque nostro
quondam fidelissimo; & M. Job. Vogelhauptio, vñv ēv ἀγίοις, forman-
dum poliendumque commisit. Rite vero in artibus ingenuis sic informa-
tus Anno M DC LXXII, Academica studia exorsus est, absolutoque Phi-
losophiae studio, Arti Medicæ, ad quam genio quodam ducebatur, se to-
tum consecravit. Magnam autem rerum Medicarum ad praxin spectan-
tiū notitiam imprimis in laribus Celeberrimi Chymici ac Practici *Michaels Henrici Hornii*, cui per quadriennium à laboribus Chymicis aderat,
sibi comparavit. Postea anno M DC LXXVI. in Italiam abiit, nobilissi-
masque ejus urbes, Venetas imprimis, Romanum, Mediolanum, Floren-
tiam, Genuam aliasque plures visitavit, Clarissimis ubique Medicis &
Anatomicis salutatis. Inde cum aliquantisper Medicinæ studiū in Pata-
vina Veneta Reipublicæ Academia continuasset, suamque rerum Medica-
rum Scientiam Professoribus illius Medicis approbasset, honores ab illis
in hac arte summos, Jacobo Cadendo Scoto conferentes impetravit. Redux
ex Italia factus, Medicinæ & artem metallorum probatoriam adjunxit, &
felici Artis suæ tractatione multorum hominum studia atque amorem in se
convertit. Dolendum vero, quod & hoc Ornamentum patriæ non diu-
tius

tius mortalium cœtibus interefie debuerit, tamque mature ex hac vita emigraverit. Morte enim superatus est anno M DC LXXXV, ætatis suæ XXIX. Atque tantum etiam de Medicis.

SECTIO IV.

DE

PHILOLOGIS, HISTORICIS, POETIS
ALIISQUE.

§. I. Prætermisis iis, qui forsan è superioribus Sectionibus ad hanc quoque classem referri possent, statim accedimus ad commemorandos eos, qui literis præcipue humanioribus studiisque Philosophicis consecrati operam suam Academiæ vel scholæ commodarunt. Ubi primo loco recentendus nobis est *HIOBUS MAGDEBURGUS*, *Vir clarissimus atque doctissimus*, cui ob eruditioñem & linguarum peritiam singularem *Differatio de Instauratoribus Græcarum & Latinarum literarum in Misnia anno superiori 1701 sub Presidio Excellentissimi Dn. D. Menckenii, Hist. Prof. Publ. in hac Academia habita*, non postremum locum inter illos tribuit. Patrem agnovit ejusdem nominis *Hiobum Magdeburgum** *Civem Freibergensem*, Attificem in condendis statuis eximium atque cudenda moneta Magistrorum egregium, qui à Duce Georgio evocatus, relicta Freiberga Annabergam se contulit, eique muneri, quod & antea obtinebat, amplius ad mortem usque præfuit. Atque hinc inde seductos putamus illos, qui Filium ejus, nostrum *Hiobum Magdeburgum* etiam *Civem Fribergensem* salutarunt, cum tamen ille non Freibergæ sed Annæbergæ prognatus fuerit. Quia in re nos confirmat non scilicet Jenifus noster, qui eum inter reliquos claros Cives capite XXIV. p. 72. adducit, verum etiam *Matthias Konigius*, qui illum in sua Bibl. p. 493. expreſſe Annæbergensem nominat. In eo saltē hic erravit, quod eum vocet *Johannem Magdeburgum*, cum tamen certo certius constet nomen ejus non *Johannem* sed *Hiobum* fuisse. Fratrem autem habuit nomine *Johannis* gaudentem, qui literis dicatus non fuit, sed Parenti in officio Annæbergæ succedit, uti notavit Jenifus l. c. cap. XXII. p. 69. Quemadmodum vero noster à pueris incredibili fervore in studia ferbaratur, ita etiam in omni genere literarum probe institutus ac eruditus fuit. Cumque prima saltē rudimenta feliciter conceperisset, doctorum hominum scholas hinc inde diligenter frequentavit, atque Latinæ pariter ac Græcae linguae magna industria incubuit. Imprimis ipse cum *Georgio Fa-*

G

bratio

*brutto, Adamo Sibero, Mich. Iago Hieronymo Odero, Casparo Nevio aliquis compluribus in patria docente audivit celeberrimum illum humiorum literarum Vindicem & scholæ patriæ aliarumque in tractu montano Instauratorem felicissimum Iob. Rivium, Abendorensem ** cuius prælata merita breviter exhibet *Dissertatio* jam laudata *Abr. XII. §. 30.* Postmodum quoque bonis artibus ac disciplinis Philosophicis ingenium prob: subgit sibi eximiam eruditioem comparavit. Hisce præclaris studiis, ut eo citius Amatores ac Patronos inveniret, adjunxit etiam vitæ innocentiam arque docendi perspicuitatem, quod de ipso testatur *Pantaleon de Virtute illustr. p. 556.**

* Honorable illius meminit Georgius Agricola in Libro de pretio Metallorum apud Jenif. l.c. P. I. o. XXII. p. 69. his verbis: Nuper in Misnia Hieronymus Magdeburgus permisso Principiū non paucas argenteas monetas puras cudebat, quæ exprimebant partim imagines nostrorum Principiū & hominum illistrum tum veterum tum eorum qui proximis annis nobiscum egerunt avum.

** In gratiam scholæ patriæ huc transferre licet Rivii in eandem merita, quæ laudata Dissertatio his verbis celebrat: Id notum est, omniumque consensu firmatur, eum & summa diligentia amantes literas tradidisse & palliū emendasse scholas, & certe quā doctriṇā domicilia constituisse. Laudat hoc institutum & hodiendum prædicat Annæberga, quæ misericordia ab eo illustrata est, adeo, ut quanta ejus ab florenti summa scholam gloria fuerit, neminem Germanorum nec vivi exsistat Muslerus. Ibī enim primus fōrdes, & quisquias ineptorum Monachorum ejicit, & per purgandum strānam ipse facili & expedita via tradidit. Cujus rei gratia evulgavit quedam ad hanc tem præcepta lingua vernacula comprehensa Exterminavit præ ere libos inutiles. Quo facto adeo in se concitauit barbaros homines, & imprimis M. Joh. Zeidlerum Tezelii Collegam (& ante mutatas religionis formam postrem Pastorem Annæmontanum) & C. Sagerum, ut concitato tumultu varie in ejus discipulis de bacchitire tandem Dresenam ad Principem decuerint. Ubi nos similitudinamus, quod ideo Rectoris sparta Annæbergæ sponte deposita Mariæbergam concesserit.

§. II. Hinc moti Misena Proceres eum liberali stipendio proposito ad se vocarunt, ejusque cura juventutem in celebri illa schola erudiantem commiserunt. Cui muneri qua fidelitate atque diligentia tum docendo tum scribendo præfuerit *Pantaleon l.c. his verbis* commendat: Eam functionem, inquiens, is grato animo suscepit atque optimos quosque Autores singulare industria explicavit, quin etiam sententias præclaras ex N. T. collegit, & in usum studioſorum evulgavit. Pari diligentia Ciceronis officia in tabulas rededit, atque virtutum fontes inspiciendos proposuit. Hoc modo Hiobus scribendo & docendo hodiendum (anno sc. 1566.) pergit, atque multarum rerum cognitione omnibus bonis gratus existit. Inde in Lubecensem scholam ipsum evocatum existimamus, ubi per quinque annum ferme docuit, prout ex Job. Mollerij sag. ad Histor. Ciberson. Cimbriam

cam

eam P. W. p. 490. laudatissimus Dr. D. Gætzius in Diff. cit. annotavit.
 Hac in re nos confirmat etiam epistola Magdeburgi Lubecā ad Civem suum Georgium Bersmannum mox commemotandum Lipsiam perscripta atque Dissertationi jam dictæ subjuncta, in qua de laborioso officio scholastico aliisque molestiis graviter conqueritur. *Iesuſus noſter* obſervat, ipsū etiam Iuſtissimos Principes Megalburgenses ad pietatem & literas informasse, quod nun ante vel post ſuceptam Lubeca provinciam präſtiterit, certo ſcire non poſſumus. Interim tamen hoc certissimum eſt illum diu ibi non perſtitisse, ſed iterum regreſſum in Patriam, ſcholas pri- vatas aperuiſſe & literas politiores maximo cum applauſu tradidiſſe. Freibergam accerſitus ſcholam illam mirum in modum ornavit, atque juventutem in utraque lingua, cuius erat peritiſtius diligenter eruditivit, & ut verbo compleſtar omnia, barbariem cum aliis viris eruditis acriter aggreſſus literasque priftino nitor, quo in Græcia Latinoque olim exſplendunt, reſtituere omni ope annifus eſt. Quod non ſolum ſupra momora- ta Diſſertatio de hoc argumento probatum dedit, verum teſtantur etiam ſcripta ejus varia, quæ poſt ſe reliquit, & ſequentia celebrantur: *Elegie Græca Evangelica Angelorum de Nativitate Chriſti*: *Mulierum ad Apoſtolos de ejus Reuſurrecione*: *Angelorum ad adſtantes de Ascensione, Catechesis Græca*. *Sententia ſacra in certos locos digeſte*, *Græco & Latino ſermone expreſſa*: *Tabule in officia Ciceronis*: *& Liber de Investigatione thematum ex poſtrem nominum verborumque syllabis*. In hoe inſigni meritorum curſu ſenectutem viridem adeptus tandem obdormivit Freibergæ anno 1595. ætatis 77.

§. III. *Magdeburgum merito excipit Vir non minus celebris qui ſi illum eruditione non ſuperavit, certe aequalit, diſcipulus ejus* GREGO- RIUS BERSMANNUS, Poeta primum Lipſiensis, poſtea Gymnaſii Serveſtiani Reſtor, uti Fellerus l. c. habet. Natus & hic eſt Annæbergæ Anno 1538. Patre Henrico Aſſarri pauperum präfecto, annoque ætatis undeci- mo in ſcholam Mifnfenſen miſſus ac fideli Præceptorum institutioni tra- ditus fuit. Adolescentiæ ejus docendo ac informando imprimis präfuerunt *Georgius Fabricius* in Latinis & *Hiobus Magdeburgus* in Græcis, Do- ctores tum temporis admodum celebres, ſub quibus etiam ita profecit, ut anno 1555. hanc Academiam adire & altiora ſtudia ſuſcipere potuerit. Cum Poeti, quam haſtenus in ſchola diligentissime excoluerat, nunc etiam conjunglebat ſtudium Philosophicum, in quo deinceps quoque ſuſumos honores adeptus eſt. Ulterius animatum ad Medicinæ ſtudium applicavit &

horum etiam Doctorum collegia frequentavit. Quò verò studiis suis complementum adderet, iter in Galliam ac Italiam adornavit, studia ibi continuaturus. Post triennium reversus in patriam, Wittebergam salutavit, ubi cum *Simone Stenio*, quem suum in schola Misnensi amaverat condiscipulum, conjunctissime vixit. Inde ab Electore Saxonie in ludum Portensem, ut juventutem scholasticam bonis literis institueret, vocatus est. Quam provinciam cum aliquamdiu sustinuissest, anno 1568. ex schola rediit in Academiam Wittebergensem, ubi Professio Physica ipsi demandata fuit. Triennio post anno sc. 1571. concessit Lipsiam ac Professionem Poeticam ornavit. Namque in hac arte noster ita excelluit, ut Poetarum suo seculo celebrissimus fuerit habitus, teste *Freherio in Theatro Virorum Clarorum P. IV.* p. 1506. & *Krügero in Catalogo mille Virorum illustrum*. Anno verò 1575. hanc Professionem iterum depositus, & *Joachimo Camerario* in Professione Græcæ Lingvæ ac Ethices successit. Verum enim vero diu eam nou sustinuit. Quoniam enim ipse anno 1580. Formulae Concordiæ subscribere recusabat, inde dimisus à *Joachimo Ernesto*, Principe Anhaltino, invitatus in Gymnasium, quod Servitæ fundaverat, anno 1581. ejusdem Rector constitutus est. In quo cum annos 30. docuissest, multosque fecisset discipulos calculi vesicæ doloribus confessus ex hac mortalitate abiit anno 1611. d. 5. Octobr. ætatis 74. Scripta, quibus nominis famam ad posteritatem propagavit, *Jenifus noster* & *Kænigius* in sua Bibl. p. 105. adducunt, suntque sequentia: *Poematum Libri XII. Annalium XI. Auctiorum XI. Paralipomenon XI. Commentarii in Virgilium, Horatium, Ovidium, Lucanum, aliasque. Philo, Grecus scriptor, latinis versibus ab eo redditus.* *Claudius Baduellus de ratione vita studioſe in matrimonio collocanda ac degendæ, cum Prefatione Bersmanni, Psalmorum Davidis Poetica Paraphrasis: Orationum quarundam farrago: Carmina ejusdem occurrent in Delit. Germ: Tom. I. p. 424. Conf J. P. Lotichius P. III. Bibl. Poet. p. 103.* Hisce studiorum administrulis rem literariam suo tempore ita adjuvit & promovit, ut non immerito inter Instauratores vel Propagatores bonarum literarum referri possit, prout *tæpius citata Differt. de hoc argumento sub finem indicavit.*

§. IV. Post BERSMANNUM tacendus non est, qui tempore prior fuit, CHRISTOPHORUS SCHELLENBERGIUS, Poetæ eximius & illustris Gymnaſii ad Muldam Professor bene meritus, quem quia Grimmæ docuit, B. Fellerus in *Prefatione jam supra laudati schediasmatis Hift. Civibus Grimmensibus annumerate voluit.* Quod si autem evolvimus

Bibliothecam Koenigii & Annæbergam lentiſſi, patetbit, illum non fuisse Grimmensem sed potius Annæbergensem. Etenim ille p. 732. l. c. expreſſe vocat Annæbergensein, & hic Civibus Claris patriæ annumerat. Edidit *Carmīnum nuptialium libros duos multa & ſtravitas & eleganția*, quorum titulus ſatis etiam indicat, eum non aliam patriam quam Annæbergam agnoviſſe. Notandum inſuper, quod amicinitate ſuorum Carmīnum quæ admodum ipli fluebant, multos quoque fautores atque amicos invenerit, ac imprimis cum Phil. Melanchtonē, Georgio Fabritio aliquo tempore celeberrimis Viris ſpecialem amicitiam coluerit. Hinc cum ipſe anno 1559. cum Adami Siberi filiā nuptias celebraret, Phil. Melanchton epiftolam quandam gratulatoriam ad eum misit, reliqui vero cum claris Civibus ſcripſerunt epithalamia, quæ poftmodum etiam Carmīnibus ſuis inseruit. De bonis literis quas ipſe gnaviter tradidit, egregie quoque meruit, easque magnopere promovit, ut non immerito Inſtauratoribus vel Propagatoribus bonarum literarum accenſeri poſſit, idem indicante *Difſertatione ſapius citata de hoc argumențo*. Mortem ejus quod attinget, ea ſecuta eſt anno 1576. d. 20. Jan. cum paulo ante ſibi eandem cecidiffet & tale ſcripſiſſet epitaphium:

Inſcribant ali⁹ genus & ſua facta ſepulchrus

Et tumuli frontem nomina magna notent.

Nomen inane fuit, SCHELNBERGI, nomine magius

Nil Chriſti, buſto Chriſte legare meo.

Chriſte necā vite que potens, dator une ſalutis,

Nunc tibi cui vixi, corpus inane cubo.

Chriſte tibi ſiſus Victor⁹ mortis & ori

Expeſto reditus tempora leta tui.

§. V. Huic adjicimus JOHANNEM RIVIUM, celeberrimi Philosophi & Theologi Ioh. Rivii filium doctissimum, qui ipſi Annæbergæ cum doceret natus, & a puero in bonis artibus ac ſcientiis gnaviter institutus eſt. Eximia eruditione instructus Halam Saxonum venit & Gymnaſium florentiſſimo præfuit. Scriptis Locis Communes Philosophicos, qui ad Logicam ſpectant, Diagrammatum tabulis delineatos anno 1579. editos, uti *Ienifus noſter cap. XXIV. p. 73. annotavit.*

§ VI. Nec certe ſilencio obnubilandus eſt *Civis gratus patriæ* MATTHÆUS BEHM, qui Annæbergæ descriptionem luculento carmine Anno 1556. edidit, eamque patriæ ad teſtandam grauitudinem dedi-
vit. An in officio quodam publico vixerit, de eo magnopere dubitamus,

quia *Chronicon schola MStum* nihil quicquam eâ de re ob servavit, & *Ie-*
nissus inter reliquos cives eum silentio plane prætererit. A Nobis tamen
 vel ideo ab oblivione vindicandus fuit, quod Poëtis sui seculi quam pro-
 xime accelerat, & non solum patriam numeris bene natis repræsentarat,
 verum etiam carmina complura alia non infelici Minerva scripserit.

§. VII. Hunc sequatur M. PETRUS RISIUS, Scholæ Mariæ-
 bergensis Rector, qui carmina diversorum argumentorum complura edi-
 dit: & ABRAHAMUS RISIUS (*Adami Risi*, qui Logistica vulgarii-
 diomate publicavit ac anno 1559, obiit, filius) Logisticae, Mathematum
 aliarumque artium peritissimus, ideoque Serenissimo Electori Augusto
 admodum charus, prout ob servat jam laudatum *Chronicon schola MStum*.

§. VIII. *Risi* sub jungendus est *MAMBROSIUS BARDENSTEIN*,
 alii *BARTENSTEIN* per T. Scholæ Thomanæ Lipsiæ Rector non ince-
 lebris. Natus est Annæbergæ anno 1559. & postquam in humanioribus
 literis eximie profecerat, salutavit hanc Philuream, & studia Philosophi-
 ca imprimis excoluit, anno 1604 Senatus Reipublicæ Lipsiæ splendidissi-
 mus illum Scholæ Thomanæ Rectorem constituit, in quo officio cum per
 annos duodecim se diligentissimum exhibuisset, anno 1616. d. 23. Aug.
 ætatis 57. diem supremum obiit. Num scripta quadam publicaverit,
 nondom constat, nisi quod anno 1587. Poëtam Lipsiensem egerit arque
 ex more recepto XV. Magistris solenni Panegyrico de his collatis honori-
 bus fuerit gratulatus, uti *Excellentissimus Dn. M. Erneski*, Poësos Prof. Publ.
 Et Rector ad D. Thomæ meritissimum, ob servavit in Dissertatione quadam
 sub ejus Presidio anno 1700. habita, cui titulus: *Commentatio Exegetica in*
Epigrammata tria Matchei Zuberi ad autores rotidem Panegyricorum
Philosphicorum Lipsiensium, instituta. Cap. II. §. 20. Adducit etiam §. 10.
Epigramma quoddam Zuberi ad Bardensteinum & ex L. Zach. Schneideri
Chronico Lipsiæ notat, eum anno 1604. ad D. Thomæ Rectorem fuisse voca-
 tum. Conspicitur etiam in *Jenisi Chronico Thranodia* in deflagrationem
 patriæ primam ab eo compositam.

§. IX. Post hunc ab oblivione vindicandus est, quem supra in nume-
 ro Theologorum intimavimus, *AUGUSTINUS BRUNNIUS*, qui hoc im-
 primis loco à nobis adduci debuit, quod libellos quosdam historicos pu-
 blicavit, quorum unum de *Electorib[us] Palatinatu[is], Saxonie & Brandenburgi-*
cis anno 1605. *Francofurti ad Mænum editum sub titulo: Trias Electoratis*, ad-
 ducit M. Job. Wolfgang Rentsche in *Brandenburgischen Gedernhayn p. 253.*
Alium de Imperatorum, Regum, Episcoporum &c, Natalibus & mortua-
 libus

libus anno 1607. etwifit, cuius mentionem fecit Koenigius in Bibliotheca p. 138.
Hinc Henningius Wittenius eum numero eorum inseruit, qui de Viris illustribus scripterunt, simulque libellum ejus Synopticum de Ecclesia Ministris,
qui juxta Augustana Confessionis normam & formulam Concordiae Evangelium Christi ab anno 1590. usque 1615. docuerunt, citat, quem vero cum quibusdam aliis scriptoribus de viris nostrorum Theologorum sedulo inquirens rancisci haec tenus nullibi potuerit,

§. X. His superaddi posset, qui in oppidulo Annæbergæ vicino, Thumæ sc. natus & Rectoratu aliquandiu in patria cum laude defunctus est M. JOH. CRAUSIUS. *Vir eruditissimus & Philologus plane eximius.* Quoniam vero ejus vitam cum speciminiibus eruditionis Excell. Dn. D. Gezzius in *Commentatione de Concionatoribus illustribus, oder Durchlauchtigen Predigern* p. 38. jam exhibuit, atque ille ipse aliquando commodius in eorum Clarorum numero, qui Annæbergæ docuerunt, repræsentari posset, plura de illo adducere jam supersedemus.

§. XI. Sed nec alii non fuerunt Annæbergenses, literis politioribus commendabiles, qui quamvis singularia de ipsis eruditionis monumenta produci nequeant, vel ideo tamen hic adduci merentur, quod suarum in schola partium probe sategerunt, deque studiosa juventute bene sunt meriti. Quales sunt M. CHRISTOPH FISCHER Schola pariae Rector: M. ABRAHAMUS BEUTHERUS, primum Con Rector, deinceps vero Mariæbergensis & Cygnei Rector, JOANNES GLENSELIUS, & GEORGIUS SCHMIDILIUS, in patria Con-Rectors aliique plures studio nunc omittendi.

§. XII. Atque hi sunt Clari Cives, quos patria seu filios non degeneres aut indecores haec tenus progenuit, quosque in ejus porosissimum gratiam in hac Dissertatione veluti in scena quadam repræsentare atque ab interitu vindicare voluimus. Evidem non ignoramus, quod quemadmodum alter alterum viri viribus ac meritis excellit; ita forsitan & plures adhuc alii, pluraque de jam commemoratis in medium proferti potuisse, si ulterius in alia quoque documenta licuisset introspicere. Quod si vero imposterum adhuc quædam de iis deprehenderimus, memori calamo excipiemus, dataque occasione ad amorem patriæ constantem declarandum ipsi communicabimus. Interim Triuni & Soli sit laus & gloria pro concessis viribus in secula seculorum!

COR-

(56)

COROLLARIA.

Patria est Civitas, cui ortum vitamque nostram post Deum debemus.
Civitati patrie aliquis magis obligatur, quam alteri, quae tantummodo
do dat bene vivere.

Civis eruditus patriæ magis obligatur, quam aliis plebejus.

Descriptio Vitarum Eruditorum facit ad acquirendam eruditionem &
prudentiam.

Clarus aliquis vocari potest non solum ob eruditionem ejusque publicata
specimina, verum etiam ob meritam & prudentiam in administratione
officiorum demonstratam,

De Ecclesia Christi optime merentur illi Theologi, qui promovent disci-
plinam ecclesiasticam, exemplo Sacerdotii nostri.



ULB Halle
007 352 425

3



✓ 278

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Cyan

Green

Blue



Farbkarte #13

10.
Q. D. B. V. 1702/1
DISSERTATIONEM
De
ANNÆBERGA
ET
CLARIS VIRIS
INDE ORIUNDIS
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
BENEVOLO CONSENSU
in
Illustri Academia Lipsiensi
ad D. XXIII. Decemb. Anno MDCCII.
PRÆSES
M. JOHANNES DIETERICUS,
ANNÆBERGENSIS.
PUBLICÆ ERUDITORUM CENSURÆ SUBJICIET
RESPONDENTE
GOTOFREDO SAMUELE
KREBELIO,
SS. Theol. Stud. & Philosoph. Baccalaureo.

LIPSIAE,
Literis JOH. CHRISTOPH. BRANDENBURGERI.

